Phalangiorum morsibus faciēs epithema quo visus est Simmias Ochlagogus 59.42.& 45
Phalangiorū morsibus faciens medicamentum Ochlagogi 59.4
Phalangijs & omnis venenosi serpentis ictui faciens antidotum 59.36
Phalangijs, scorpionibus,& omnis serpentis ictui,faciens,vt visus est Diophantus 59.18.& 22
Philippi Macedonis Ambrosia,ad letalia medicamēta & cuiusuis viruleti ictū,& ad internos affectus. 49.6
Philonium antidotum, aut aliud quoddam exiguum non adeò summe bonis medicamētis indiget. 9.14
Phthisicis & pectoris vitijs vtilia medicamēta. 85.37 & 42.& 44.& pag.86.lin.2.& 4.& 7
Pilos palpebris supernascētes quomodo tollas. 80.12
Pilos palpebrarum defluētes quomodo curabimus & alios pilos reducemus 80.9
Piper longum vetustate,cariem sentit 41.29
Piper lōgū adulteratū esse,quomodo dephēdas. 18.23
Podagra,articularius morbus,& coxendicum dolores, sibi inuicem sunt congeneres, & eandem ferè curationem requirunt 91.42
Podagræ accessiones qb⁹ curētur remedijs. 92.22.& 25
Polypi in naribus remedia 76.45.& pag.77.lin.3. & 5.& 7.& 9.& 12.& 14.
Porriginē quæ pityriasis dicitur qūo curabim⁹ 71.43
Præsidium ad difficultatem spirandi 94.23
Profluuium sanguinis è vulneribus quibus curetur remedijs 93.9.& 12.& 15
Profusio sanguinis è naribus quibus remedijs curetur. 77.16.& 20.& 23.& 28.& 30
Psilothri remedia 46.33
Psylli à morsibus virulentorū vix afficiuntur 63.6
Pterygia oculorum quibus remedijs curantur. 80.25
Puluis oculis noxius est 78.39
Puteolis,ærugo,cerusa, æs, squama æris optimè præparantur 5.16

Q.

QVę à letalibus medicamētis præseruēt,Apollonij Mys 48.8
Quinquefolium non adulteratur 25.6
Quintus medicus,cinnamomi loco theriacæ indidit carpesium 23.6
Quum nō constat comesta vel pota deleteria,quid faciendum 48.5

R.

RAdices in medicamēto q̄les debeāt esse. 26.13
Radicum cortices multo vtiliores sunt quàm medullæ 61.6
Regio morbo laborātes quib⁹ remedijs iuuētur. 89.2. & 6.& 8.& 11.& 14.& 17.& 19.& 21.& 22.& 24.
Remedia non sunt inducenda loco adfecto,nisi prius totum corpus fuerit expurgatum 73.5
Remedij magnitudo metiēda est,pro affectus magnitudine aut paruitate 66.9
Remediorū inuentionis scopi pro causis affectus efficientibus plures sunt 70.36
Renum obstructionem curantia 91.31.& 33
Renum vlcera potu curantia 91.26
Rheu decoctione adulteratur 24.11
Rimæ sedis affectus 90.45
Romæ,argenti spuma optime præparatur 5.17
Romam ex omnibus gentibus singulis annis multa aduehebantur simplicia,tempore Galeni 5.23
Romani calaminthami vocant nepitam 15.32
Rosacei pastilli confectio 43.32
Rosæ suauissimæ capiendæ in theriace 19.27
Rosarum siccarum decocto vtimur optimè ad æstiuas lippitudines , continuè palpebras eo per spongiam abstergentes 78.28

S.

SAbina vina sunt aquosa & non diu durant 7.5
Sagapeni dignotio 18.27
Sagapenum liquor ferulæ 18.30
Saliuam stomachi curantia 87.36
Sanguinis taurini antidota 47.3
Sanguine testudinis constans antidotum 60.11
Sanguinis eruptionem & sputa cruenta curantia medicamenta 85.23.& 26.& 29.& 32.& 34.
Sanguinis impetum & suprà & infrà cohibens antidotum 42.22
Sāguinis è narib⁹ eruptionē sistētia. 77.16.& 20.& 23. & 28.& 30.& pag.92.lin.42.& 45.Itē pag.43.lin.2
Sanguinis profluuium ex vulneribus quibus remedijs sistatur. 43.9.& 12.& 15.
Scillini pastilli qūo paradi sint. 17.6.& pag.30. lin.3
Scillinos pastillos quomodo parari iubeat Crito. 33.14

Scordion optimum ex Creta aduehitur 20.13
Scordion corpora mortua a putrefactione reddit immunia 20.14
Scorpionum ictibus faciētes diuersę confectiones, quibus Diophāt⁹ vtebatur. 57.29.& 34.& 38.& 43
Scorpionum ictibus dicatum epithema. 58.37.& 39.& 41.& 43.
Sedem varij affectus inuadunt 90.45
Sedi competūt medicamenta tenera & à rosione, quū illinuntur, aliena 91.4
Semina quā habitudine requirāt ī medicamēto. 26.20
Semmiæ Medi ad phalangiorum morsus 59.11
Signinum vinum Marso & Tiburtino valentius est, & minus acescit inueteratumq́ꝫ optimū redditur. 7.1
Signinum vinum longo temporis spatio inueterari cō tingit 6.44
Singultientes iuuantia 88.26
Singult⁹ stomachi qbus remedijs curare queas. 87.21
Sitim sedans catapotium æstuantibus vtile 87.13
Smegmata ad dentium firmitatem & robur, adeóque decentiam 82.38
Solis ardor si caput offenderit, quibus remedijs vtendum sit 69.1
Solis splendor oculis affectis noxius est 78.39
Somno arcendi sunt qui letale medicamentum hauserint 93.33
Sonitus aurium quibus remedijs curandus. 75.8.&.10 & 15.& 17.& 20.& 22.& 24.& 27.
Spica nardi & nardus indica idem sunt 23.34
Spirandi difficultatem iuuantia 94.23
Sputa cruenta & sanguinis eruptionem curantia medicamenta 85.23.& 26.& 29.& 32.& 34
Stirpium genera aut differentiæ quæ sint 10.45
Stœbe herba fruticosa admodū est, calida, acris, & odoratum quippiam resipiēs, ac ad vini cōseruationem aptissima 7.37
Stœben pater Galeni copiosam calidamq́ꝫ in domum calidissimā iniecit, & vasa vinaria repleta occultabat ac nunq̄ vinum habuit acidum, sed omnia celerrimè veterascentia 7.18
Stœcas Cretica melior 24.19
Stomachum æstuantem quomodo curabimus 87.27
Stomachi dolorē quib⁹ remedijs pacabimus 87.40
Stomachi euersionem quibus medicamētis curare possimus 86.43.& pag.87.lin.6.& 18
Stomachi euersionē, cœliacos & dysentericos quomodo curabimus 87.6
Stomachi inflationē quibus remedijs curabim⁹. 88.5
Stomachi intemperies calida quomodo curāda. 86.25
Stomachus refrigeratus quomodo curandus 86.33
Stomachi saliuā qbus medicamētis curabimus. 87.36
Stomachi singultus & perfrictiones quomodo curare conueniat 87.21
Stomachici plerique ex ciborum vaporatu, capitis dolorem sentiunt 70.1
Stomachū atrā bilem vomētē quō iuuabimus. 87.44
Stomatice præstantissima 83.38
Styrax ex Pamphylia theriacæ inijciendus 25.18
Sugillata quomodo curentur. 80.34
Sugillata cum tumore laxo quomodo curentur. 81.3
Sugillata recentia quomodo curentur 81.5
Surrentinum vinum longo temporis spatio inueterari contingit 6.44
Surrentinū vinū viginti annis permanet crudum. 7.3
Surrentinum vinū diu potulentum permanet, non ex procliui amarescens, Falerno viribus persimile 7.4

T

Terebinthinam libycā theriacæ inijciendā præcepit Andromachus 24.43
Terebinthina Chia & odore & gustu omnib⁹ præcellit 25.3
Testudinē palustrem nōnulli vocāt sanguisugā. 71.22
Thasium mel, aut Hymettion, aut omnino Atticum, in antidota conijciendum est 8.36
Theriace quomodo conficienda. 13.16. & pag. 26. lin. 11. & pag. 32. lin. 5
Theriaces cōpositio primūm tēpore Antonini. 3.32
Theriace ex omnium præstantissimis medicamentis componi debet 9.15
Theriaces descriptio carmine iāb. p Damocratē. 28.20
Theriacæ vires 28.11
Theriaca Ælij Galli q̄ vtebatur Galenus egregia. 52.35
Theriaca alia Ælij Galli vehementer efficax 52.44
Theriace Andromachi senioris, dicta Galene 11.28
Theriace ab Andromacho composita, triplicem promittit vsum 3.8
Theriace Andromachi senioris ad quæ vtilis sit. 11.34
Theriace Andromachi iunioris, ad omnem affectum interiorem, præsertim ad stomachi vitia, & aduersus letalia, & morborum circuitus 15.13
Theriaca Antiochi Philometeros, ab Eudemo numeris conscripta 60.25. & 42
Theriaca Mithridatis, qua semper vtebatur, vt se à letali veneno assereret 50.27
Theriaca Zenonis Laudacei, vt Menutianus accepta tradidit 53.21
Theriace Zopyri 67.16
Theriaca ad iteriores dolores Euclidis Palatiani. 53.10
Theriaca ad scorpionum ictus, & quæ morsu virus emittere videntur, ad rupta & conuulsiones, inflationes coli & similia multa, quam Gallus ex Arabia profectus Cæsari donauit 66.42
Theriaca qua vsus est Marcus Cathegetes 66.15
Theriaca à diuitibus plerisque præparabatur Romæ, imperante Antonino 9.20
Theriacorū pastillorū pparatio. 15.43. & pag. 29. lin. 28
Theriaci pastilli quatuor annis in vigore permanent, si probè fuerint siccati, ac repositi, & puris linteis diebus aliquot, puluis qui ipsis obducitur abstergat. 17.1
Thlaspi quod ī Cappadocia est, cōueniēti⁹ est. 25.39
Thlaspi vnde dictum sit 25.42
Tibenum mel excellens est & nobile 8.40
Tibenum vinum vnde dictum sit 7.10
Tiburtinum vinum longo spatio temporis inueterari contingit 6.44
Tiburtina vina austera sunt, &, si imprudentius cōdatur, ex facili acescunt 6.45
Tmolites vinum vnde nomen acceperit 10.19
Tonsillas, & vuam inflammatione tentatam, orisq́ꝫ putredinē quomodo curabimus. 83.42.& 45.& pag. 84.lin.2.& 4.
Tormina intestinorum quibus medicamentis iuuētur 90.16.& 21.& 24.& 26.& 30.& 35.
Toxici antidota 46.3
Tuberculis quæ crithæ dicuntur, oculis supernascentibus quæ remedia adhibenda 80.32
Tumores laxos ex ictibus oculis oborientes quomodo curabimus 79.42
Tumores laxos qb⁹ medicamētis curare queas. 42.36
Tussim sedans linctus 85.18
Tussim aridam sedans linctus 85.21
Tyrannis dictum antidotum 54.19

V.

Vapores caput infestantes ferè sunt calidi 70.11
Vaporum exhalatio si capiti nocuerit, quibus remedijs sit vtendum 69.26
Varus quid sit 81.7
Varus differt à ficosis tumoribus mentum infestantibus 81.8
Vari in vultu quibus remedijs curentur 81.12.& 15

Venere abstinendũ in defluxionibus ad oculos. 78.36
Vermes aurium quomodo tollantur 75.42
Vesicæ vlcera potu curantia 91.26
Victus accuratus præcipuum locum habet in omnium ferè affectuum curatione 78.23
Vinum Ariusium vbi nascatur, & vnde nomen acceperit 10.17
Vinum si capitis dolorem induxerit, quibus remedijs vtendum erit 70.10
Vinum falernum assumendum est in antidota, quod nondum præ vetustate amarescat 8.9
Vinum falernum primum locum obtinet in conficiendis antidotis 8.8
Vinum falernum duplex 8.14
Vinorum Lesbiorum quæ optima 10.23
Vinum longitudine tempotis non corruptum, bonum in Antidoto 8.22
Vina calefacta, vitari debent in ijs medicamentis quæ intra corpus assumũtur: in emplastris autem & alijs quæ extrinsecus imponuntur, etiam talibus vti nihil prohibet 8.4
Vinum quale debeat esse quod in theriacẽ ĩmittitur. 6.28
Vinum quod inter odoratiora fuerit, eo quod assumitur & dulcius & substantia tenuius, hoc est præstantissimum 10.27
Vina Sabina, Albana, Gauriana & Aminea sũt aquosa, & non diu permanere possunt 7.5
Vinum Signinum Marso & Tiburtino valentius est, & minus acescit, inueteratúmq; optimũ redditur. 7.1
Vinũ Surrentinũ viginti annis permanet crudũ 7.3
Vinum Surrentinum diu potulentum permanet non ex procliui amarescẽs, Falerno viribus persimile 7.4
Vina Surrentina, Tiburtina, Signina, & Marsa, longo temporis spatio inueterari contingit 6.44
Vina dulcia theriacæ inijcienda, non tanquam ad totius medicamẽti virtutem meliora, sed gratiotis gustus causa 10.33
Vina aquosa ex oĩbus vinis celerrimè inueterantur. 6.37
Vinis validis simul & austeris, albísq; cũ crassitia, etiã post decennium interim, si non bene fuerint reconditа, acescere accidit 6.42
Vina valida & austera, albáq; cum crassitia, longo tẽporis spatio inueterari quandoque contingit 6.43
Vina in Italia cito acescentia 6.44
Vina in Asia ad antidotũm conficiendum accommodata sunt tria 10.16
Vina nunquam requirunt locum tepidum & temperatura medium 7.16
Vina quædam adeò sunt imbecillia aquosáque, vt ne initio quidem frigus tolerent 7.17
Vinum Tmolites vnde nomen habeat 10.19
Vina Tiburtina & Marsa, austera sunt, & ex facili, si imprudentius condantur, acescunt 6.45
Vina vel alba, vel nigra, vel rubra, antidotis accommodata non sunt 10.11
Viperę morsibus dicatum epithema. 62.6. & 11. & 14 & 17.
Viperini orbiculi siccari debent in domo sublimi, ad meridiem conuersa, vel certè non ad septentrionem, & quare 16.30
Viperini orbiculi siue pastilli tenues esse debent. 16.23
Viperarum caro æstate, est sitis efficax: secessus tempore, sicca, frigida, & alimenti expers 15.44
Viperarum morsibus faciens antidotũ Dorothei Hesiæ 60.4
Viperarum morsibus faciens antidotum 67.4
Vlcera aurium quomodo curentur 75.5
Vlcera capitis manãtia ἄχωρες græcè dicũtur. 72.6
Vlcera capitis manantia quomodo curentur. 72.7. & 19. & 21. & 25.
Vngues oculorum, quæ pterygia dicuntur quomodo curandi sint 80.25
Vocẽ abscisam curãtia medicamẽta. 85.9. & 12. & 14
Vomitus iuuant coxendices, & quare 92.14
Vomitus vtilissimus est vbi quis medicamentum letale assumpserit 93.27
Vrbani Indi antidotum ad interiores fœtus excutiendos 35.14
Vuam inflammatione tentatam quibus remedijs curabimus. 83.42. & 45. & pag. 84. lin. 2. & 4
Vulnera si sanguinis profluuio infestẽtur, quibus vtendum remedijs 93.9. & 12. & 15

X

Xylobalsamum non potest dolo vllo adulterari 4.44

Z

Zenonis Laudacei Theriaca, vt Menutianus acceptam tradidit 53.22
Zenonis Laudacei ad rabiosorum morsus, est etiam bona theriaca 56.9
Zoili medicamẽtum, quo vsus est Aphroditus Charcedonius, protinus dolorem leuans 58.26
Zopyrion antidotum 37.6. & pag. 49. lin. 21
Zopyrion Antidotum ad letalia medicamẽta efficax & omnis serpentis ictum 49.21

INDICIS FINIS.

ERRATA.

Vna pro vua pagina 14. linea 29.
Quadrati pro rotundi pagina 38. linea 14.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE ANTIDOTIS LIBER PRIMVS, IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.



Edicinas quæ non extrinsecus corpori impositę, sed intra ipsum assumptæ affectibus medẽtur, Antidota medici appellant. Tres autem in vniuersum differẽtię ipsorum habentur. Nonnulla siquidem letalium medicamẽtorum gratia offeruntur. quædam ad virulentas, vt dicunt, feras proficiũt. quædam affectibus ex prauo victu oborientibus opitulantur. Sunt quæ triplicem promittant vsum, quemadmodum etiam Theriace nuncupata: quæ sanè ab Andromacho medico est composita: eiecit autem ex hominũ vsu Mithridation dictũ, quod & ipsum ab authore suo id nominis accepit. Nam Mithridates hic quẽadmodũ & nostræ tẽpestatis Attalus omniũ prope simplicium medicaminũ experientiã habere studuit, quæ letalibus aduersantur, vires ipsorũ in facinorosis hominibus, qui morte dãnati erant, cõprobans. Quędam igitur ipsorũ phalangijs peculiariter cõuenire deprehẽdit: quędã scorpionibus, sicut viperis alia. Ac in noxijs medicamẽtis, alia ad Aconitũ, alia ad Leporẽ marinũ, alia ad aliud quippiã atq; aliud conducunt. Quibus omnibus contẽperatis Mithridates vnũ confecit medicamentũ, sperãs se aduersus omnia letalia habiturũ præsidiũ. Postea Andromachus Neronis primarius medicus quibusdã adiectis, quibusdã vero adẽptis Theriacen dictũ Antidotũ prępatauit, haud exigua viperarũ carne, quam Mithridatios nõ habebat, alijs admista. Atq; hoc nomine Theriace ad viperarum morsus præstantior q̃ Mithridation vocatũ existit. Ad alia vero Mithridation nihilo minus valet: sed est in quibus etiã præstãtius inueniatur. At nõ easdẽ vires obtinent Antidota, & post noxia medicamẽta, & ante eadẽ assumpta. Quæ enim magnitudo ipsorum cum præsumuntur, sufficit, ea quadruplo, aut quintuplo aucta, cum postea dantur, adiuuãt: idq; non semel quotidie, sed bis. Verum si quis vel singulis diebus, quemadmodum nostro sęculo factus imperator Aurelius Antoninus, vel vt ipse Mithridates, medicamẽtum capiat, omnino à letalibus & deleterijs appellatis medicaminibus erit securus, & immunis: sicut aiunt etiã Mithridatẽ ipsum, cũ exitioso medicamẽto potius interire, quàm Romanorum imperio subijci maluit, nihil inuenisse, quod ipsum potueit interimere. Quæ iam Mithridati acciderunt, audimus. Nos autem ipsi nouimus Antonini tempore qui primum Theriacen in sui tutelam præparans, quotidie Aegyptiæ fabæ instar assumebat, vel citra aquæ viníve, aut eiusmodi misturam deglutiẽs. Quum autem graui sopore ptemi ipsum in quotidianis actionibus contingeret, papaueris lachrymam ademit. Rursus quũ accideret, vt propter consuetudinem pristinam, ceu qui siccioris temperamenti naturam haberet, & ob desiccans medicamentum à longo tempore oblatũ, bonam noctis partem insomnem transigeret, coactus est etiam ex eo quod lachrymam papaueris habet, iam inueterato, adijcere. Dictum namque subinde

Antidota quae sint

Antidotorum differentiae

Theriaca Andromachi

Mithridation

Antidotorum usus

iam mihi est, eiusmodi medicamēta vetustate mitiorem ipsam lachrymam obtinere. Erat autem tunc imperator ob bellū Germanicum in Istri ripis, me profectionem illam auersato. At quum Antidotum ab Demetrio archiatro compositum laudaret, post mortē ipsius literis ad Euphratē catholicū à quo ad cōpositionē apta simplicia medicamenta accipiebat, missis vt indicaret quis ipsorū adesset, qui cōpositionē imperialē accepisset, rogauit me vt semper ei in omnibus compositionibus adessem, prępararíq; Antidotum à me iussit. Sed quia hoc solum ei placuerat, Romam profectus inquirebat, quanam simpliciū medicamentorum commoderatione conficerem, ac ego verum ei confessus sum. nam nihil etiā minimū vel reliqui vel adieci ijs, quæ ex veteri consuetudine aulici medici immittunt, causámq; ostēdi propter quā potissimū mihijpsi cōfectio placeat, de qua impręsentiarū dicere instituēs, eorū quæ tūc gesta sunt, cōmemini. Nam Antoninus, vt qui singulis diebus medicamētū vnà cū melle copioso assumeret, exactissime & malitiam eius & virtutē dinoscebat. Fit autē hoc præstantissimū, reliquáq; propè vniuersa medicamēta, tū propter eorū quę inijciuntur probitatem, tum ob virtutis inter sese proportionē. Pleriq; neutiq̄ singula ipsa priuatim probare nouerunt, quantū maligna probáve existant. quapropter neq; virium inter se proportionem cognoscunt. vnde factum est vt pluribus medicamentis imbecillibus aut temporis spatio, aut genere nonnunq̄ iniectis, validissima ipsis admiscuerint. Quidam enim aliquando liquorem qui ex Thebis Aegypti affertur valētissimo immittens antidoto, Philonio id medicamento & gustu & viribus persimile effecit. Rursus myrrha indita maxime valenti, simul cum pluribus imbecillis, pręstitit, vt antidotum ab illa vinceretur, ac alius quidam similiter in croco errauit, alius in sagapeno, quemadmodum rursus, alius in bitumine & galbano, nōnulli & duo & tria tā valida alijs imbecillibus admiscēres, antidorū quod ab illis supatur cōfecerūt. Quomodo igitur ipsū præparet, vel vno verbo aliquis iā sagax homo ex facili addiscet. Porro medicamētorū dinotionē, ac discrimina, nō semel aut bis, tērve, sed admodū frequēter spectasse cōuenit, etsi accurate à quodā indicāte simul & rationē docēte quale optimū sit, poterit indipisci. At ei qui sine indice ex libro quodam perlecto, quales sunt Heraclidis Tarētini Theriacę, Cratenę, Dioscoridis, Nigri Iollę, Ruffi ephesij, & aliorū quorūdā, dinotioni ipsorū incumbit, multo magis suismet oculis inspicere opus est, quo cuiusq; medicamēti virtutē & malitiā exacte internoscat. Nonnulla siquidem institores tam callide adulterant, assimilántq; veris, vt etiam exercitatissimos in eis fallant, in quibus optimum est, ex longo tempore ea pręparasse, atq; per amicū syncerū ex regione qua præstantissimum nascitur medicamentum exhiberi, aut semel eò profectum, præparare quæ per totā vitā durare possent, qualia fere omnia sunt metallica nūcupata. Quū itaq; Cyprum propterea inuisere statuissem, haberémq; amicū in ea præpotentē, qui familiaris erat præfecti metallorum, commissarij Cæsaris, cadmiam copiosam illinc exportaui, item diphryges, spodium, pompholygem, chalcitidem, misy, sori, & chalchantum, quemadmodum ex Palęstina Syria opobalsamum exactum. Bitumen sane ne adulterari quidem potest dolo, quemadmodum neq; opobalsami fructus: aut xylobalsamum. Nauigaui autem in Lemnum quoq; ob nullam (ita me dij ament) aliam rem quàm Lemniam siue terram quis nominare velit

ſiue ſphragida, quod eſt ſigillum. Porro diximus de ea abunde nono de ſimplicium medicamentorum facultate libro. Hanc igitur ſiue Lemniam terram, ſiue ſigillum malis appellare, adulterant, vt nemo veram à fucata falſáq; poſſit dinoſcere. Quemadmodum & quod vocatur Indicum Lycium, aliáq; multa dignoſci ab adulteratis difficillima: quæ conuenit ab ijs qui in regiones proficiſcũtur, tum commiſſarijs, tum ſenatorijs loci præſidibus colligere, vel ab amicis qui ea loca inhabitant, quemadmodum me facere conſpexiſtis. Nam alia ex magna Syria: alia ex Palæſtina: alia ex Aegypto: alia ex Cappadocia: ex Ponto mihi alia afferuntur. Quemadmodum etiam ex Macedonia, & occidentalibus plagis, vbi Galli & Hiſpani habitãt, à Mauris item qui oppoſitam illis regionem incolunt. Quæ vero in ſingulis regionibus præſtantiſſima medicamenta gignantur, Dioſcorides aliíque verè deſcripſerunt. Nos autem, vt dicebam, præparare ea oportet, quo docui modo, & præſertim ſi Romæ habitemus, quò ex omnibus gentibus ſingulis annis permulta adueniunt. Nonnulla in ipſa quoque Italia, partim ſua ſponte gignuntur, partim præparantur, quemadmodum in Dicearchia quæ nunc vocatur Puteoli, ærugo, ceruſa, æs, ſquàma æris, ac alia nonnulla. In ipſa autem Roma, argenti ſpuma. Nonnulla tantum non quotidie afferuntur, ſicuti quæ ex Sicilia magnáq; Libya & Creta ſingulis annis æſtiuo tempore multa apportantur, quum herbarij viri, qui illic à Cæſare aluntur, non ipſi Cæſari ſolum, ſed toti quoq; Romanorum vrbi plena vaſcula tranſmittant, quę πλεκτὰ dicuntur Græcè, quòd viminum plexibus conſtent. Ferũtur eiuſmodi à Creta etiã ad alias pleraſq; gentes, vt nihil ex ijs quæ ab ea proueniũt deſit, neque herbis, neque fructibus, neq; ſeminibus, neq; radicibus, neq; ſuccis. Alia igitur omnia ſyncera accipiuntur: nonnulli autem ſucci adulterantur, ſed & hoc raro accidit: nam propter copiam herbarũ, in inſula naſcentiũ, herbarij incolę non adeo fucum facere conantur, imò neq; nouitas magna quemadmodum in alijs exiſtit, ſed vt abſinthij ſuccum duntaxat faciant, marrubium miſcẽt, aut eiuſmodi quippiam exiguum immutant. Quare vnguẽtorum inſtitores Romani, quũ ſingulis annis plena medicamentorum vaſa plectilia coemunt, primũ vnumquodq; ipſorum cognoſcere docentur, etiamſi non prius aliquis viderit. Ad hæc etiam quale pulcherrimum exiſtat, ex cõtinua inſpectione apprehendunt. Memores autem eorum quæ anno ſuperiore emerunt, quum alterum eo præſtantius viderint, agnoſcunt: inter herbas ſane, quę cum fructu ſurculis adhærẽte apportãtur, fœcundius, germinãtius, magis amplũ, ſubſtãtia ipſius cõpactũ, & tempore non contabeſcens, intelligentes eſſe præſtantius ijs, quæ macriora, minus fructuoſa, rara, leuia, & celeriter contabeſcẽtia viſuntur. Aſinus enim nimirum eſſet qui nihil horum poſſit intelligere, quemadmodũ etiam guſtu odoratúque, nihil negotij eſt optimum deprehendere, quum idem ſubinde videmus. In quo enim ſingula medicamenta ab alijs odore, aut guſtu differunt, in illo validum, principem inter ſimilia ſpecie, locum obtinet. Ita ſane & mel dicimus eſſe præſtantiſſimum, quod dulciſſimum & acerrimum inter omnia alia habeatur, quoniam genus ipſius eiuſmodi in dulcedine exceſſum obtinere appareret. Quum itaque ex dulcibus natura vuis muſtum ad dimidias, aut etiam tertias fuerit incoctum, dulcedine quidem nihil à melle deficit, hæbes autem eſt & morſus expers, quemadmodũ aqua, verùm mel non huiuſmodi exiſtit, quippe

acrimoniam quandam cum dulcedine refert. quare laudatissimum est, quod in his præcellit ac primæ ipsorum notæ propriæ virtutis, ex his, ac ex accidẽti eiusq́ue consequio petentur, iuxta colorem, substantiam, odorem, & veluti particularum cõpagem. Colore igitur pallidũ est: substãtia neq; crassum & grumosum, neq; nimis liquidum, vnitúmque per tota & viscosum, vt si ex eo nõnihil digito gestans fluere permiseris, distendatur, sibi contiguũ, visci modo, ne diuellatur neq; abrũpatur: verũ nõ ideo est optimũ, sed quia ex peculiari natura mel optimum hæc perpetuo sibi accidentia vendicat, eáq; de causa præstantissimæ notæ efficiuntur. Hinc igitur opus esse dico, singula medicamenta simplicia subinde inspexisse, vt in memoria habeamus, q̃tum acrimoniæ sortita sint, aut dulcedinis, aut alterius cuiusdã sensibilis qualitatis, quarum quantitas verbis nequit indicari. Iam & aliud quoddã cuiusq; medicamenti facultatis iudiciũ ex lõga experiẽtia accedit, quod nihil ratione adiuuatur. Nam mel à Cnidio excellentissimum notis quas dixi nuper, apparẽs, ceu prope accedat ad Thasium, & Hymettium, maliriam non mediocrem vetustate ostendit, in vinosam transiens qualitatem. Simile ipsi quippiam & Rhodio accidit. quapropter quum aliquis mel hoc in theriacam misisset, deinde post triennium ipsam vinum resipientem deprehendisset, non gustũ modo, sed odore etiam, mihi ostendit, ac ego contemplatus dixi, id ei ex melle ĩdito accidisse, ob quod homo me admirari cœpit: præterea interrogaui, an largius ipsum incoxisset, despumassétq;. Confitebatur autẽ & hæc, eóq; admiratus est vt qui sapiens nonnihil à me audiuisset. Cæterum suam ipse temeritatem ac præcipitantiam damnauit, ꝗ ex sola scriptura medicamentum præparare esset aggressus. Alius acidam quam præparauit theriacen effectam mihi indicauit, causam interrogans. Itaq; quum à me audiuisset plus impendio vini esse iniectum, eiúsque nõ optimi neq; veteris, forte etiam panis nõ probe confecti amplius q̃ conuenit carni viperarum esse immixtũ, cõfessus ita se rem habere, temeritatis se damnauit. Quare etiam prospiciendum venit, cuiusmodi genere id immittas, quale sane experientia notum est firmissimum existere, deinde validum, quod pluribus iam annis probatum fuerit, quod non amplius ĩmuretur. Etenim imbecillima, & (vt sic dicã) aquatissima vina, aut vehementer austera, & maxime omnium vinorũ acescentia, vbi primis annis exacuerint, reliquo tempore permanẽt. Verum huiusmodi iudicij tempus aliud, alij vino existit: non multis sane annis aquosis id accidit. Ita vero nominant alba colore, tenuiáq; substantia, & non multæ inter tẽperandum aquæ indiga. Omnino autem ea quæ talia sunt, vti nec caput omnino feriunt, ita neq; corpus manifesto calefaciũt, neq; cõcoctioni in ventriculo & venis euidẽter quicq̃ conferunt, neq; alendo corpori subministrant. Hæc ex omnibus vinis celerrime inueterantur. Vocant autem harum rerum periti, inueterari, prompte in talem veterascentium qualitatẽ immutari. Atq; hæc acrimonia est cũ calore manifesto. postea vero amaror, in quem transit. Nonnunq̃ & aquosa vina perseuerãtia est videre, quũ nõ primis, aut tribus, aut quatuor ãnis subacuerint. At validis simul & austeris, albísq; cũ crassitia vinis, etiã post decẽnium interim, si nõ bene fuerint recondita, acescere accidit. Eadem quoq; inueterari longo tẽporis spatio contingit. Eiusmodi in Italia sunt Tiburtinum, Signinũ, Marsum, Surrentinũ. Et quidem Tiburtinũ Marsũmq; austera sunt, & ex facili si imprudẽtius condantur,

aceſcunt. Signinum verò & his valentius eſt, & minus aceſcit, inueteratúmque optimũ redditur. de Surrentino quid opus eſt dicere? Omnibus enim hoc iam conſtat, id ante viginti propè annos adhuc eſſe crudum. Viget autem tot annis natum, diúq; potulentũ permanet, non ex procliui amareſcens, falerno viribus perſimile. Secus aquoſis accidit, Sabino, Albano, Gauriano quod in Puteolorũ colle naſcitur. Item & quod in Neapoli in ſubiectis ei colliculis prouenit; Amiņæum quidem appellatum, ſed tenue, nõ ſicuti in Sicilia & Bithynia aminęa, et ſi his gẽtibus paucum ſanè, aquoſum, ac tenue vinum gignatur, non tamẽ abeſt vel à Sabino in Italia, vel in Aſia, Arſinio, Titacazeno, & quod apud nos vocatur Tibenum propter regionem in qua colitur Tibas appellatã. Hæc omnia facilè in cõtrarias qualitates mutãtur, vel acidam, vel amarã: inter principia quidem acidam. ſin autem permanſerint, amaram. At multum ad adulteram qualitatem regio in qua ſita ſint, confert. Initio ſanè optima eſt frigida, poſtea verò calida, aut econtrario, calida per initia. Nam tepida facile ipſa in acorem perducit. Si autem in frigidiore ſita loco permanſerint annis duobus & tribus, illinc abunde calefieri deſiderãt, tepidum autem locum, & temperatura mediũ, nunq̃ requirunt. nonnulla tamen adeo ſunt imbecillia aquoſáq;, vt ne initio quidem frigus tolerent. in quibus pater meus cauſa experientię ſtœbe copioſa calidáque in domum calidiſſimã iniecta vaſa repleta occultauit, & aſſecutus id quod ſperabat, nunquam vinum habuit acidum, ſed omnia celerrimè veteraſcentia. Quomodo autẽ domũculam calidam præpares, vt ille extruere ſolebat, etiam nunc indicabo: in agris omnibus apud nos domus fiunt prægrandes, focum in quo ignem excitant in medio ipſarum habentes, non multum autem ab eo diſtant iumentorum ſtabula, vel in vtraq; parte: dextra & ſiniſtra, aut certe in alterutra. Sunt & fornaces focis cõiuncti, iuxta anteriorẽ ipſorũ partẽ, quæ totius domus oſtium reſpicit. In eum itaq; modũ omnes in agris domus conſtruũtur, etiamſi exiguæ exiſtant, quæ autẽ curioſius ex eis ædificantur, interiore pariete exedram habent, oſtio ex aduerſo oppoſitam: vtraq; autem ipſius parte lectũ, in cuius ſuperiore parte domunculæ ſublimes ſunt, quemadmodum in multis omnigenarũ rerũ receptaculis orbiculatim iuxta tres magnæ domus parietes, ſępe etiã iuxta quatuor. Ex his igitur domunculis quę maximè ſpectatur vtrobiq;, exedræ incumbit in qua vinum pater meus reponebat, poſtq̃ in dolijs efferbuiſſet. at firmius in vaſis fictilibus prius reponitur, quẽadmodum & alia licet apud nos per totum annum calefacere. Præſtantior autem domus eſt, quæ meridiẽ ſpectat, à ſeptentrione remota. Porrò herba quę apud nos naſcitur fruticoſa admodum eſt, calida, acris & odoratum quippiam reſipiens. vocãt ipſam incolæ Colymbadẽ, nõnulli Stœben, ad vini conſeruationẽ aptiſſimã. Condebat autem hac herba vaſcula, & domũcularum ſuperiorum partis vnum parietem foraminibus notandis in maiorem modum diductis, qua & fornacem & focum eſſe dixi, diuidebat, conſiderans calorem per eadem foramina in domũculam peruenire, qua vini dolia reponebat. Itaq; ex magnę domus calore & ſtębe foţu, theca vinaria incaleſcens vinum totum conſeruabat, vt nunq̃ aceſceret. Quò autem magis id cõſequeretur, & nunq̃ à propoſito aberraret vaſis infundebat vinum non recẽtibus, ſed ex quibus aliquod inueteratum euacuarit. Perſimile ijs quæ dixi in Italia quoque vidi circa Neapolim fieri, & collem eidem

regioni vicinum, quem nominant Triphyllinum. Audiui etiam in multis Italiæ locis vinum ita calefieri, sed tale queádmodum firmum & durabile, ita etiam doloris in capite efficax efficitur, propter qualitatem quæ ipsi ex fumo accedit. Itaq; eiusmodi omnia vina in medicamētis cōponēdis quæ intra corpus assūpturi sumus, euitabis. In emplastris autē, & alijs quæ extrinsecus imponuntur medicamentis, etiā talibus vti optimorum penuria nihil prohibet. Deligi itaq; vina debent in antidota natura firma, inter quæ primū non ad hoc solū, sed aliā quoq; omnem virtutē falernum existit: assumendum vero & huius generis est, quod nondum præ vetustate amarescat, sicut nonnulli qui theriacen præparāt, in hoc quoque falluntur. Quum enim audiuissent semper sermonem hunc celebrari circunferríque, puta alia omnia preter vinum tempore consenescere, vetustissimū inijciunt: neque quantitatem aliqui coniectura assequentes, eo quòd neq; in libris medicamentarijs mensura ipsius scripta inueniatur. Quum autem duplices sint ipsius species, nihil viribus inter se differentes, suauius Antidotum, id quod dulcius est, efficit. ac vocant ipsum proprie Faustianum. In quibus igitur qui mutatum & acescens vinum miscent, errant. Si enim vel nullo infectum vitio per se Antidoti medicamentis contemperetur, subinde acescit, ita vt vetustissimum falernum, & præsertim quando paulo copiosius fuerit inditum, medicamen reddit amarum. Iam vero alius vnus medicus etiam mel admodum vetus falerno similiter iniecit, tali quadam ratiocinatione vsus. Vinosum quandoque mel aliquod euasit temperatum, quod præstantissimum antè apparebat. Tutius itaq; visum queádmodum in vino quod longitudine temporis indicatum est non corrumpi, medicamento admiscere. Erat autem hoc vtique propter tempus subamarum, deinde ex coctura largiore magis adhuc amarum est ostensum, quod omni melli vetustiori ex coctione accidit. At meri nihil est, quum & citra cocturam tempore amarius pro dulciori euadat. Atq; apud patrem meum mel quoddam amarum adeo erat, quale in Ponto nascitur quibusdam locis, vbi apes ipsum ex absinthio congregāt, id ipsum dicebat, mel quod apud Athenienses est præstantissimū, multo tempore inueteratum amarum euasisse. Quoniā vero inutile mihi visum est, etiam à patris obitu in hunc vsque diem seruo, amarius quidem adhuc multo quàm tūc erat redditum, sicuti & nigrius: non tamen multo crassius. Atq; hoc optimo melli eximium adesse videtur. Quin etiam in Eleonte Cherronesi iuxta illam regionē, vbi monumentum est Protesilai mel natum, quod omnia diu eadē quæ Hymettion mel occupat, processu tēporis præter quod crassius efficitur, etiā subinde in grumū concrescit. Itaq; mel omniū optimū Antidotis inijci debet Himettion, aut Thasiū, aut ōnino Atticū. Quòd si penuria quādoq; sit ipsius, quod in Cycladibus insulis nascitur, quódq; huic simillimū fuerit, admittendū est. Quin & in Isthmo mel bonū gignitur, ac id à regione Isthmiacū proprie nūcupatur, queádmodū Tibenū & ipsum denominationē sortitū. Egregia nobiliáq; hęc sunt. Cæterū & in alijs regionibus optimū mel prouenit. Propter paucitatē autē ab incolis insumptū, vt nō possit superfluum in aliam efferri regionem, ignoratur. Etenim in nostro agro qui inter Pergamū & Elæam vrbem in mari sitam habetur, collis quidam est thymis refertus, in quo apes laudatissimū mel cōponunt, quod inibi cōsumitur. Iacet autē hic collis à Pergamo proficiscēti ad Elæā in sinistra,

non tamen propter viam. Ac in Mysia quæ supra nostrum agrum est, nominãt Britton, demiratus sum quum viderem mel omnino Attico persimile, etsi illud mel lõge prauissimum in ea nascatur. Sed enim & illic tumulus quidam erat nõ grandis, in totum petricosus, thymis, & origanis consitus. Alibi locus erat Cytisi plenus. Colebat autem dominus eius mel dulcissimum, vt excelleret hic atticũ, non tamen acre, atq; ideo celeriter vsos eo auertit, subitóq; nauseam commouet, si etiam paulo copiosius fuerit assumptum. Etenim & ijs qui de Cytiso scripserunt: hæc in cõfesso sunt omnibus, quòd bonam mellis partem ex floribus ipsius apes decerpunt. fruticosa autem planta est Cytisus in altum excrescens, myrtis similiter. Hæc sanè diximus vtilissima ijs, qui non solum Romam incolunt medicis, quò ex omni terra quotannis bona veniũt, sed qui in qualibet orbis parte habitant, vt cognitis optimorum notis, ex ijs quæ apud suos, aut certè vicinos aut eiusdem gentis homines existunt, optima deligant. Qui igitur Philonium Antidotum, aut aliud quoddam exiguum componit, non adeo summè bonis medicamentis indiget. Si verò Mithridation aut Theriacen, aut aliud quoddam multæ misturę & Cinnamomum recipiens, conficiat, omnium præstantissimis opus medicamentis habet. Atq; alio in loco eorum copia non datur, eóq; Romæ eiusmodi Antidota præparant, non solum optimi medici, sed etiam Myropolæ: omnes vtiq; in eis magis aut minus peccantes, non tamen inutile medicamentum componentes. Itaq; Antonino imperante à diuitibus plerisq; Theriaca præparabatur, atq; ideo nonnunq̃ aliqua quę difficile poterãt comparari reliquerunt. Mirum enim quàm diuites, principis studia imitentur, aut cupiant saltem imitantes videri. Quum autem ille è vita excessit, paucissimi hoc Antidotum veluti & Mithridation præparabant. Quemadmodum igitur Romæ optimorum medicaminum omniũ copia facilius q̃ alibi suppeditatur, ita in ipsa Roma alicui Cæsari Antidotum preparãti multo magis adhuc omnia prestantissima suppetũt, vinum sanè Falernum, mel Hymettium, opobalsamum quod Syriacum appellatur: ex loco autem in quo generatur copiosissimũ optimúmq;, aliud nomen secũdum obtinet, vocatur enim Sigadinum pręstãtius ijs quæ in alijs Palæstinæ locis gignũtur. At quanto vinum Falernum excellentius est, eo quod in tabernis venditur, tãto etiam eo quod in Aegypto nascitur. Quapropter si exactè cognoscenti vniuscuiusq; medicamenti virtutem, liceat Cæsari preparare, quemadmodum mihi licuit, optimum conficietur. Nam quum regibus pręstãtissima quæq; ex omni terra adferantur, ex his rursus ipsis optimum eligetur. Ego vero vini Falerni vniuscuiusq; ætatem vasculis inscriptã relegens, gustu deprehendi, quæ plures q̃ viginti annos haberent, à quibus processi vsq; ad ea quæ nihil subamari saperent. Nã vetus ex ijs quæ nondũ amaritudinem assumpserunt, optimum est, quantum ad ætatem attinet. Hymettiũ autem mel quum in scrinijs imperatorijs copiosum habeatur, bimulũ gustans, delegi, ex eo quòd esset dulcissimum & acerrimum, vt quod recenti & vetustiori sit præstantius. Quia vero non solum ijs qui regiam huius cõfecturæ copiam habent, sed & alijs quoq; omnibus medicis scripturam vtilem esse cõuenit, sermo mihi fit prolixior. Statim nanq; multa quæ Athenis emũtur, particulas habent plerasq; in imo reconditas, & propter hoc inspiciuntur: acrimoniam melli exhibentes. Tempore autẽ in superficie thymi erumpunt, queẽadmodũ etiam

alia quæ alterius generis melli respondent: ac multa quæ Romæ vendũtur, talia apparent: præterq̃ si exercitati qui adferunt ea exemerint, quę thymis supernatant, vt vulgares qui mel deguſtãt, prępollenti thymorum qualitate præditũ, decipiantur. Hoc autẽ non accidit in eo quod dolum non sensit. Si itaq; aliquãdo thymũ senseris mel olfaciẽs, cõmemoratã modo fraudẽ conijcito. Nã optimum mel acrimoniã thymorũ attrahit: odorẽ verò nõ exhaurit, sicuti nec gustus vehementiã. Etenim quatenus incoquere cõuenit, vbi de cõfectura agetur, exponemus. De mellis igitur virtute satis est disputatum. De vinis autem deinceps dicentur, quæ paulo ante reliquimus. Nam si in Asia, aut apud alias quasdam gentes Antidotũ præparans, vinũ medicamẽto vtile desideres, colore vermiculum quærere oportet. Quippe nullũ vel nigrũ, vel albũ, vel rubrũ ad huiusmodi Antidota est accõmodatũ: verum substãtia tenue, vt pelluceat, gustu, sicut in falerno dictũ, necdum amarescẽs, nõ tamen crudũ adhuc propter nouitatem. Scribam autẽ eiusmodi vinorũ nominatim tibi exemplũ quæ in Asia nostra proueniunt, & priusq̃ Romanorũ potentia esset adaucta, ac falernum inclaruisset, veteres medici appellationes eorũ literis prodiderunt. Sunt autem tria in Asia. Ariusium sanè quod ab ipsis est cõmendatum, nascitur in Chio, nomẽclaturam à loco, vbi gignitur, sortitum. Quẽadmodũ & Lesbium à totius insulæ nomine vocatur. Tmolites à colle cui Tmolus nomen est, vbi nascitur. Porrò constat ex his ipsis optimum deligi secundũ prædictas notas oportere, veluti in melle dictum à me est. Quum enim omne propemodũ in Attica bonũ existat, in hoc rursus ipso Hymettion est laudatissimum, mox. Thasiũ, sic etiam inter multa vina quæ in Lesbo nascuntur, vermiculum, non crassum, odorũ, minime astringens, non exiguę admodum dulcedinis compos, quod nulli ignotum est: vocatur proprie Lesbium. Excellentissimum est, quod tale in Eresso prouenit. Ab hoc deinde, quod in Methymna. Tertium quod in Mitylena. Ex his optimum deliges, superius enumeratis notis iudicans. Quod nanq; inter odoratiora fuerit, eo quod assumitur & dulcius & substantia tenuius, hoc est præstantissimum. Itaque Lesbij talis est species, quemadmodum & Ariusij, quæ exiguo discrimine secundum maioris minorísq; rationem discrepant. Non tamen hæc Tmolitis neq; Falerni existit. Quippe duæ ipsorum habentur species: alterum quidem dulce: alterum vt non dulce, ita neq; austerum, sed in medio hic austerorum, dulciúmq; vinorum consistit. Inijcias itaq; Theriacæ dulce: non tanq̃ ad totam medicamenti virtutem melius deligens, sed gratioris gustus causa, cuius solicitudo in medicamẽtis quę deglutiuntur, est habenda: quum in se multa habeãt amara, quemadmodum Mithirdation & Theriace. Reliqua autem omnia medicamenta ex longo vsu virulentis bestijs aduersari iudicata, qualitatibus amara sunt, vt sermone de ipsis apparebit. Homerus autem, vt videtur, omnia quæ doloribus medentur talia esse autumat. Scribit itaq; hunc in modum:

Radicem adiecit amaram
Contritam manibus, omnes quæ auferre dolores
Apta.

Medicum igitur peritum esse consulo, si fieri potest, omnium stirpium: sin minus, at plurimarũ: & quarum vsus multus est. Genera ipsarum, aut si malis differentiæ hæ sunt, arbores, frutices, herbæ, spinæ, sarmẽta. Nam quũ ea ab initio ad

finem poteris cognoſcere, in multis terræ regionibus reperies, quemadmodũ & ego in Italia offendi varijs locis, quæ neq; naſcentia, neq; aucta nouerunt, ſiccata tantùm agnoſcunt. Nullus itaq; eſt vnguentariorum, qui ignoret herbas quę ex Creta apportãtur, ſicuti & fructus ipſarum. Verùm in ſuburbijs Romæ earum non paucas naſcentes omnino neſciunt, ac ideo quum fructus ipſarum efferũt, non inquirunt. Ego autem noui & chamæpityn, & chamædryn, & thlaſpi, & centaurium, hypericúmq; & polium, ad hæc alia eiuſmodi cum tempus eſt inquirens, florentia capio neque reſiccata æſtiuo ſole, ſed neq; citius quàm conuenit ſumpta, dum fructus adhuc crudi imperfectíque exiſtunt. nam compoſitorum medicaminũ virtus, ſimplicium vires comitatur, exigua quadam in ipſa confectione, differentia obueniente, ad quam modò digrediar, vbi ſimpliciũ medicamentorũ, quæ inuicem miſcentur, mẽſurã decẽtem adſcripſero. Quoniam verò nonnulla perperam ſunt ſcripta, dum quidã vbi petentibus ſcripturam exhibent, ſponte mentiuntur, aliqui etiam peruertunt, quæ à nonnullis acceperũt exemplaria, iſti libri qui in bibliothecis ſunt repoſiti, numerorum notas habentes, ex facili peruertuntur, dum quinq; mutantur in nouem, ſicut & π, quod eſt, octoginta, in ιγ, id eſt, tredecim, vnius literæ appoſitu, quemadmodũ & alterius ablatione. Quapropter ego, ſicut Menecrates librum conſcripſit, titulum imponẽs, Hologrãmatos Autocrator: quaſi dicas integris literis deſcriptis imperator, in quo ἑπτὰ, id eſt, ſeptẽ duabus ſyllabis ſcripta ſunt, non per ζ ſolũ: viginti, tribus ſyllabis, vt εἴκοσι, non per κ duntaxat exprimit: τριάκοντα, id eſt, triginta, quatuor ſyllabis effert, non per λ tantùm, aliáque ſimiliter, ita faciam & ipſe. At laudo etiam Andromachum, qui carmine Theriacã ipſam, quemadmodũ alij nonnulli, deſcripſit. Damocrates etiam alia omnia, numeris incluſit, rectè nimirum faciens. Minimè ſiquidem fraudulenti illi poſſunt eos peruertere. ac primùm tibi illius ſcripturam verſibus comprehenſam hic apponemus.

Andromachi ſenioris Theriace, Galene dicta.

Accipe quas habeat vires, clariſſime Cæſar,
Antidotus multis conſociata modis.
Accipe ſecuræ Nero libertatis alumne
Magna ſalutiferæ, robora Theriaces.
Dicitur hæc graijs Hilare, Eudios, atque Galene,
Ad portus diros, haud medicina leuis.
Nec, ſi Meconis perfrigida pocula ſucci
Hauſeris, inſignem vim negat illa ſuam.
Nulla cicuta poteſt hanc vincere, nullum aconitum,
Nullus frigidior ſuccus hyoſcyami.
Feruida non thapſus, letalia pharmaca Medæ,
Sanguineúmq; valent, vlcera cantharidum.
Vipera nigreſcens ictu, infeſtúſq; ceraſtes
Arida ſeu dipſas, non ſuperare poteſt.
Scorpius aduerſum hanc, itidem nil promouet aſpis,
Quæ in reliquis virus exitiale tenet.
Improbus ille dryas, contra hanc occurrere pugna
Non audet, latebris ſed manet vſque ſuis.

Dryinos, necnon hæmorrhun, sanguinis expers
Qui virus fundit, hæc medicina domat.
Non hoc offendunt inimica phalangia potu,
Quæ horrifico vexant sumpta dolore virum.
Non hydrus, aut Epicherſus, aquis aut cancer oberrãs,
Sub calido primũm sidere obesse potest.
Nulla tibi Amphisbæna nocet, siccósque subintrans
Campos, exitium nulla rubeta feret.
Huic fidens Cæsar, prato oblectare per æstum
Nec Libyæ curæ fiet harena tibi.
Quin stomachum curat medicamen, cũ æstuat ægrum
Assiduè vexans, insuper asthma velox.
Non oberit labijs chersydrus pestifer atris,
Qui occurrens, animam non finit esse diu.
Vel quum ventriculus turbatur flatibus, vndam vt
Interius surdam concitet ipse chyli.
Vel quum difficili vertuntur tormine venti
Intestina, colon pulsus vbi exagitat.
Vel quum iam totos confuso felle per artus
Vt proprius nequeat esse colos oculis,
Regius infestat morbus, non vlla ciborum
Cura adsit (quamuis Iuppiter annuerit
Tempora longa) animo sed tristes, limina vitent
Eius qui medicam polliceatur opem.
Si videas pallore malo candentia membra,
Tollet hydropa suis viribus Antidotum.
Et fuscata statim lustrabit lumina, rebus
His quoque si incipiat, non vereare phthisin.
Sola etiam Tetanum, tendonum spasma, profundi
Theriace hæc adimet pondus opisthotoni.
Vel quum succingens costas membrana laborat,
Pulmones reprimens desuper ipsa leues,
Vel quando horrificos patitur vesica labores
Vlceris, illius prædomitúsq; porus
Impedit vrinam, coles & reddere eandem
Appetit, & crebro proruit in venerem.
Quum renum sæuit crucians iniuria lumbos:
Hoc poterit potu tristis abire dolor.
Pectoris & labem saniosam pellitat ægri
Multos vsque dies potus hic antidoti:
Pestiferámque luem curat, quæ tempus in omne
Spiratu grauis est, intima conficiens.
Atque canis rabidi virus quod morsibus indit
Lætus odorata fugeris antidoto.
Hinc tu sume fabæ pondus, quam lympha creauit

Ex vmbra, cœno & tecta simul folijs
Nempe fabæ Nili, grauitatis nomine, ternis
Antidoto calidam consocians cyathis.
Sumito quando capis somnum, vel luce reuersa,
Vno vel pariter pocula bina die.
Luce bibent ipsam, quibus est sol tristis, vt inde
Lenimenta mali quod furit, accipiant.
Nocte quibus tenebræ gratæ minus, ordine verso,
Ante thorum pulchre sumpta medela facit.
Exitiale animans quos læsit vulnere diro
Aut cui letalis potio capta fuit,
Apponens Hilares affectis pocula, eodem
Noctu & luce simul fac medeare modo.
Quin & perpetuo spiranti nocte quietem
Præbebis Cæsar, hoc placidam antidoto.
Principio expertus vir in arte venabitur angues
Audaci, miros celeritate, manu.
Hos quum tristis hyems abijt non amplius arctas
In terra latebras cernis habere suas.
Missis iam latebris subeūt nemora ampla virentis
Quæsitum marathri semina grata oculis.
Hæc visum refouent serpentibus, atq; bubulcos
Quos metus exercet, sæpe dolore leuant.
His ipsis caudas, & colla referta veneno
Pręcides, vacuos ventriculósq; adimes.
Quippe venenatos vtraq; ex parte dolores
Mittunt. nam caudis hi quoq; virus habent.
Ergo secas ipsis ceruicem, atq; extima, quantum
Intus pygmæi tenditur arcta manus.
Namque cadit virus pariter cum sanguine. motis
Extremis, Hilaren feceris Italicam.
His tibi sic factis, carnes in fictile mittens,
Vnà compositas igne parabis acri.
Lymphæ quod satis est infundes, germen anethi
Cum anguina iunctum carne coquens pariter.
Ast vbi spina cadit cocta de carne recurua,
Desuper atque feræ noxia terga tument,
Exime, quò feruens frigescat mistio flammis:
Infestas carnes dimoueásque procul,
Abstrahe serpentum spinas, virus redolentes,
Quas persentiscet non malè docta manus.
Carnibus adijcias panis sicci & bene pisti
Quantum pastillos fingere sufficiat.
Verùm vbi iam ista pilæ fundo contusa rotundæ
Cuncta, super nigrum tu modò funde solum.

Protinus hic etiam cum cortice squilla piloso
Illita cui circum massa sit, incaleat:
Dum sic assetur, nec fiat durior inde
Cortice, nam ardescet leniter ille cinis:
At postq̄ calefacta nimis disrumpitur, ipsam
Deponis, carnis portio tripla manet.
Atq; eruum gyro duplici demittis acerbum,
Pistillóq; moues, quod teris, inferius:
Aufers, & riguos pastillos inde figuras:
Quos, vt siccescant, sole repone procul.
Fac decadas vtriusque duas & quattuor æquè,
Pastilli drachmas pondere connumeres.
Tot piperis calidi, meconis, magmatis adde,
Magmatis hedychroi par modus inijcitur.
Bisq; rosæ senis siccæ folia ingeris inde
Drachmis, coniunges irin & illyricam.
Hoc glycyriza modo, necnon opobalsama odora,
Scordion & dulcis semina buniados.
Sed myrrha & costus, crocus & qui ducitur antro
Corycio binas accipient triadas.
Iam casia & nardus quæ extremis fertur ab Indis,
Iuncus, apud Arabas victima facta deis
Thus, piper obfuscum, dictamni germina, rheon
Marrubium, stœchas, zingiber atq; calens.
Et terebinthina, & calaminthe & petroselinum
Quinque simul folium, singula pondus idem,
Actutum polij quaternas ponito drachmas,
Tot styracis faciens, atq; chamępityos.
Meu totidem drachmas & amomi postulat vnà,
Nardus, quam generat Gallica terra simul.
Lemnia creta pares, phu pōti, itidémq; Chamędrys,
Semina Cretensis, Malabathri folia.
Torrida chalcitis & anisum, & Gentiana
Succus hypocystis, hoc quoq; pondus amant.
Balsameū fructū, gummi, seménq; marathri,
Et cardamomum quod tenet Indus ager.
Cæruleæ ast spinæ lachryma, hypericū, sagapenū,
Thlaspi, ammi, seseli, tot quoq; singla petunt.
Castoreum, terræ malum, nigrúmq; bitumen
Iudaicum, dauci semen, opopanaca,
Galbana opima itidem, necnō centaurion æquè,
Ternis hæc scrupulis singula consocias.
Omnia permulto subigantur in orbe falerno
Quæ lachrymas referunt humiditate chyli.
Sed lignosa teres actæo melle perungens

Omnia, quæ misces Theriacæ Antidoto.
Phœbe tuum munus prompto comitare fauore,
Seu nunc te oblectes per iuga Thessaliæ,
Seu Rhodon,, aut Burinnam habitas nūc aut Epidaurum,
Des Hilaren regi perpetuo Antidotum.
Nempe tuam gnatam Panaceam, nam ipse salutem
Abs te ortam sacro semper honore colet.

Andromachi iunioris Theriace ex viperis, dicta Galene. Cap. 7.

Hæc quidē senior Andromachus literis mādauit, filius autē ipsius librō medicamētario quē de internis inscripsit, hāc scripturā tradidit pedestri vsus oratiōe.

Antidotum quod vocatur Galene, ad omnem affectum interiorem: præsertim ad stomachi vitia, & aduersus letalia, & morborum circuitus.

Pastillorū scillitiorū drachmæ quadragintaocto, pastillorū Theriacorū drachmæ vigintiquatuor, magmatis hedychroi, piperis nigri, singulorū drachmæ vigintiquatuor, opij drachmę vigintiquatuor, rosarum siccarū, scordij Cretensis, napi seminis, iridis Illyricæ, agarici pōtici, cinnamomi, dulcis radiculę succi, opobalsami, singulorū drachmæ duodecim, myrrhæ, croci, gingiberis, Rheu pōtici, quinquefolij radicis, nepitę (sic Romani calaminthā nomināt) marrubij, petroselini, stœchados, costi, piperis albi, & lōgi, dictāni Cretensis, iunci odorati floris, thuris, terebinthinæ, cassiæ fistulæ,, nardi Indicæ, singulorū drachmæ sex, polij Cretēsis, seselis, styracis, thlaspi, ameos, chamædryos, chamæpityos, hypocistidis succi, malabathri, nardi gallicę, gētianę radicis, anisi, meu athamātini, fœniculi seminis, terræ lemniæ, chalcitidis tostæ, amomi, acori, pheu pōtici, balsami fructus, hyperici, acaciæ, gūmi, cardamomi, singulorū drachmæ quatuor, dauci seminis, galbani, sagapeni, opopanacis, bituminis, castorei, centaurij tenuis, aristolochię tenuis, singulorū drachmę duæ, mellis attici drachmę centū quinquaginta, erui drachmæ nonaginta. Ex hac pedestri Andromachi iunioris scriptura licet intelligere, siquis quodcūq; in elegis senioris dictū nō assequatur; quare & ego eorū quæ obscurius ab eo dicta videbātur, interpretationē nō apposui, prolixitatē scripturæ deuitans. Vnū vero dūtaxat miratus sum in iuniore Andromacho, φ in simpliciū medicamentorū vnde antidotū cōponit enumeratione, nepitā pro calamintha scripserit, Romani enim calaminthā sic appellāt; nō cōueniebat autē ipsum, quū omnia græcè tradidisset, hoc solum Romanū nomē græcis inserere. Cæterū in vno inter se discrepant, quoniā metrica scriptura vigintiquatuor drachmas lōgi piperis obtinet: pedestris autē sex. quia verò, vt dixi, multa exēplaria vitiatas medicamētorū q̄titates habent, ideo primū quidē integris literis ipsas cōscripsi, Menecratē imitatus: deinde autē post hoc etiā numeris expressas apposui. Porrò cū andromachi elegiaca obscurius sint cōposita, melius existimaui Damocratis versus admodū manifestò interpretatos apponere. sed hoc quidē paulo posterius aggrediar, nūc quoniā multa ex simplicibus medicamētis quę Antidoto imittūtur exposui, præstat ea quę ipsis desūt adijcere.

Quomodo pastilli Theriaci præparentur. Cap. 8.

Viperas nō queadmodū nōnulli media ęstate, neq; tamē quū nuper secessum terræ reliquerint, venari cōuenit. etenim ęstate caro ipsarū est sitis efficax: secessus tempore, sicca, frigida, & alimenti expers. Optimū itaq; tēpus est quod hæc

intercedit, vt etiam Andromachus ipse indicauit, quū qui Baccho festa celebrāt viperas solent discerpere, desinente quidē vere, nondum autē inchoata æstate, vel si ver admodū hyemale extiterit, æstatis initio nō lōge à Pleiadūn ortu. porrò fœtas viperas repudiare oportet: cæterū capita & caudas ipsis præcidere. Nā præterq̄ quòd hę particulæ virulentiores esse videātur, etiā duræ & modicę carnis compotes existūt. Sufficit autē in magnis viperis id quod auferetur vtrobiq; quaternos digitos æquare. Reliquū vero totū corpus intestinis exemptis & cute detracta aqua perlutū cacabo indere cū aqua pura viridíq; anetho (tūc enim viget) atq; super carbones perustos, aut ligna arida, quæ Græci vocant ἄκαπνα, incoquere cōuenit, prǽstiterit autem vitiū esse sarmēta. Iam vero salis inijci debet, si quidem conuenienti tempore viperas cęperis, momentum, sin autē æstate, nihil. At ex maritimis locis capere ipsas, aut salsa quadam aqua neutiq̄ tentabis. quippe antidotū ex huiusmodi viperis confectum, sitim conciliat. Vbi vero diligenter ipsę incoctæ fuerint, quemadmodum si quis comesturus esset, ex aqua oportet eximere, carnes autē auferre ita, vt nihil ex spinis simul exeat. Atq; his accurate detritis, panis purissimi probè desiccati momentū admiscere. Præ omnibus autem panis bene fermentatus & diligenter tostus erit, testuaceus, nō furnaceus. Nonnulli igitur dimidiam ponderis partem ex pane inijciunt, nonnulli vero tertiam, ego etiam quartam quintámq; nonnunq̄ indidi. Nisi enim probe fuerit tostus, periculū est, ne aliquid aciditatis medicamento obueniat. at satius est etiā diebus aliquot antea hoc pacto tostū in domo sicca exaruisse. simulatq; vero ea mista sit lęuigatáq; adamussim, vt nulla viperarū carnis portio non lęuigata remanserit, orbiculos tenues efformabis. nā crassi quum ęgrè siccescant viperę carnes putrescere permittunt, panem acescere, quare hunc siccum lęuigare potius est, non quemadmodū qui ante me Cæsari præparantes antidotū cōposuerunt, viperarum decocto ipsum irrigantes: ac ego longo tempore id factitabam, verū postea melius esse existimaui, panem in læuorem detritū ita viperarum carni diligēter prius in puluerē redactæ permiscere: citius enim hoc pacto orbiculi siccescunt: arido pane non humido illis admisto. Cęterū domus in qua siccescere debent, omnino sit sublimis, ad meridiē conuersa, vel certè nō ad septētrionē, vt solis radios bona diei parte accipiat. siquidē in huiusmodi facilè siccescent: statim vbi fuerint cōformati, ea domus parte locētur qua nō radij solis erumpunt. vertere autem eos continuè expedit, vt æquabiliter vtraq; in parte desiccescant. hoc enim nisi facias, altera pars plus (ac par est) siccabitur: altera humida diutius manēs putredinē experiri periclitabitur. Simulatq; iam siccata fuerint, alijs plurimis diebus in eadem domo extra solis radios condētur, ita vt continuè vertantur. Abunde vero tempus hoc est, longissimū dierum quindecim, secundū quos reponere orbiculos tempestiuū est, quousq; medicamentū es præparaturus. Repones autē vase stanneo, aut vitreo, aut aureo. vitreum itaq; & aureum nullum dolū experitur, stāneum plumbi mistura adulteratur. Tale igitur vitare cōuenit nō in hoc solū, verùm in alijs quoq; omnibus antidotis, veluti & quod ex argento non purgato: celerrime enim & huic ærugo obnascitur. Vocant autem Romani argentum purgatū, candidum. At præstaret nō multo tempore post vti pastillis. non tamen multū obsunt, etiamsi post annū inijciantur: imò post longius insuper hoc tēpus. Nā probe initio siccati, & tribus annis,

& quatuor in vigore permanēt, si probè fuerint repositi: & puris linteis diebus aliquot puluis, qui ipsis obducitur, abstergatur. Si nanq; hic longiori spatio adhęrescit, ipsos pforat. clarū verò est ōnibus, vbi hoc fuerint experti, inutiles euadere: nā priusq̄ hoc ipsis accidat, etiā si inueterētur plurimū, vtiles permanent.

Quomodo pastilli Scillini parentur. Cap. 9.

Siue scilliticos siue scillinos malit aliquis appellare pastillos, aut orbiculos, aut rotulas quæ ex scilla præparātur, nihil refert; nā quocūq; nomine appelles medicamentū nō offendis, modò nullū in cōpositione errorē cōmittas. Ego verò etiam hanc tibi manifesto exponam. Scillam bonæ habitudinis ex terra sumes, quū folia ipsius & caules exacte inaruerint. Cortice autē adempto, deinde tritici recentis quā licet optimi exiguo circūlitam postea in calido cinere copioso torrefacito, vsq; dū massa farinacea obducta, in crustā omnino īdurescat. Quòd si etiā in loco quo pręparas, fornax aliquis habeatur, in illū simul cū pane demissam, massa farinacea consiccata adēpta, in læuorem cogito. At satis tostam esse deprehēdes, quū festucā dimiserit, hanc enim scillæ corpus quū probè fuerit tostū prōptè recipit. Vbi verò exactè ipsa fuerit detrita farinā erui cādidi immittes: nā eius quod nō albū est, vehemēter amara est. Cæterū liquet omnibus hāc tenui cribro esse incernēdā, & deinde adamussim læuigandā. Scillam verò huius pondere sesquialterā esse conuenit, dico autē sesquialterā, vt duæ quidem farinę partes, tres autē scillæ exīstāt, nā idem dicēs iunior Andromachus, haud noui, quomodo nonaginta drachmas erui farinæ esse velit, scillæ autē centūuiginti: satis enim erat dixisse sesculum. deinde tenues orbiculos ex hac mistura formatos in domo ad meridiē spectante (sicuti prædiximus) reponito, non tamen in ipso solis splendore siccato, aliáq; de theriacis cōmemorata, in his etiam facito.

Hedychroi confectio. Cap. 10.

Superiore Theriacæ facultatis cōpositione Andromachus quomodo sanè tū Theriacos tū scillinos orbiculos præparare cōueniat, indicauit, quomodo autē hedychroon cōficiatur non exposuit, ac alij pleriq; ex ijs qui cōposita medicamēta cōscripserūt, hedychroi cōfectionē in tractatione de Theriaca intactā reliquerūt. quare medicus quidam Romę ex ijs qui medicamentū pręparare non viderunt, ex scriptura cōfectionē eius aggredi ausus, quærebat apud vnguenarios hedychroon, putans herbam esse, aut aliquod tale simplex medicamētum, ego autem hoc quoq; ostendam ceu Andromachi successor, inter eos qui Cæsari in hūc vsq; diem id pręparant, qua ratione cōponāt. Porrò vt etiā ipsius scriptura ægrè vitietur, corrūpatúrq;, ligata oratione inferius scripta explicabitur.

Hedychroi vult magma mari binas sibi drachmas,
Aequales & amaraci habens, asari, aspalatíq;,
Et iunci teretis, calami qui suauis odore est,
Phu ponti, ligni & succi quem balsamon ædit,
Tres sunto drachmæ, totidem costi, cinamomi:
Myrrhæ sex alias misces, folij malabathri.
Indorum nardi, flauiq; croci insuper æquas.
Quinetiam casiæ totidem, sed pondus amomi
Sume duplū, drachmā Chiæ sed mastichæ habebit.
Hæc vino debent conspargi cuncta falerno.

Quum hæc temperata fuerint, orbiculi nimirum fingũtur & theriacis & scillinis persimiles, eodémq; modo siccãtur. hæc sanè hæreditariò, vt dixi, hedychroi compositio ab Andromacho ad nos vsq; peruenit. Aliæ autẽ diuersæ à nõnullis descriptę sunt, ijs nimirum qui medicamẽtorum experientię studuerũt, pondere eorũ quæ inijciũtur euariãtes. Nõnullæ autẽ neutiq̃ habent amaracũ & marũ, nõnullę alterũ ex eis dũtaxat obtinẽt. Neq; enim myropolę õnes ea cognoscũt, quòd videlicet solas herbas quæ à Creta apportãtur vnà cũ seminibus succísq; emãt. Ego vero etiã herbas easdem in Asia generari noui, in alijs sanè locis paucas, in Cyzico autem plurimas, ac in Italia sicuti alias quasdã, ita & amaracũ crescere vidi. Porrò hæc planta à maro permultũ odore vincitur, nam marũ vehementer odoratũ, & quod amaracinũ vnguentũ vocatur, in Cyzico cõfectum quãtũ ad appellationẽ attinet, putauerit aliquis amaraci plurimũ habere, & forte hoc pactò à veteribus præparabatur. Nunc autẽ marũ solũ immittunt. ego vero herba gustata, & amaritudine in ipsa permulta, acrimonia autẽ nõ itẽ multa deprehẽsa, adhortatus sum aliquẽ ex ijs qui amaracinũ solent præparare, vt tantum amaraci, q̃tũ etiã mari, cõfecturę inijceret. Ac mihi pręparatũ vnguẽtũ ita minus quidẽ odorũ, nihil autẽ minus efficax apparuit. Hęc igitur in trãscursu obitérq; dicta sint. Digrediamur igitur iã ad huius ãtidoti cõfectionẽ, eodem ordine singula quæ ei ĩmittũtur repetẽtes, quẽ Andromachus suprascriptis elegiacis versibus cõfecit, quinquaginta sanè drachmas minus duabus scilliticorũ pastillorũ inijciẽdas cẽsens: quod idẽ est acsi diceret quadragitaocto: horũ dimidiatã partẽ, quod est vigintiquatuor drachmas theriacorũ, opiíq;, & hedychroi, & longi piperis. De tribus itaq; dictũ est. longum autẽ piper fraudulẽter præparatum deprehendes, aqua irrigans. nam quod præparatũ est soluitur: quód sua spõte prouenit, insolubile permanet. Porrò est id herba quędã flaua quę à Xene adfertur aspectu quidẽ sed nõ gustu tamen similis, quare etiam facillimũ est à lõgo pipere ipsam discernere. Iam verò & sagapenũ dictum deprehẽditur, si aqua aut vino superfundas, quippe verum statim dissoluitur, quod nõ tale est haud eliquescit, siue vt neutrũ nomen, sagapenũ, siue vt masculinũ totum hoc sagapenum liquorem appellare malis (est enim reuera liquor ferulę cuiusdã panaci similis) nihil interest, verùm panacis liquor nihil habet persimile ei, qui in galbano albior existit, altera autẽ eius pars in sagapenum degenerat, quæ spumosa leuísq; est, altera in optimũ galbanũ, sagapenum resipiens. Hæc; autẽ densa est & multo magis q̃ aliud galbanum constricta: vti ea conuenit, vt particula galbani præstantissima. Quoniã vero trãsire dixi ex galbano in sagapenũ quod spumosum in eo cohęrens albúmq; est, promptè in liquido soluitur. Apponere verò sermoni oportet, præsertim quòd cõsimiliter optima cassia in cinnamomũ degeneret. Spectaui enim iam subinde sublimis & ramosę cassiæ vt in fruticis magnitudinem erumperet, surculos quosdam adamussim cinnamomi similes, tum aspectu, tum corticis tenuitate, & præterea firmissimis cinnamomi notis quæ & gustu & olfactu deprehenduntur. Pari modo in optima myrrha opocalpason inuenitur à myrrha diuersum: ac in tribus hisce, dico sagapeno, opocalpasõ & cassia medio spatio nõnulla gignũtur, quæ nõ amplius remanẽt, aut galbanũ, aut cassia, aut myrrha, necdum exactã sagapeni, cinnamomi & opocalpasi speciem referentia. quapropter etiam subinde eum qui cõsimilia inter se dinoscet,

vidiſſe oportet, quemadmodũ in pueris gemellis inuicē ſimilibus, qui quidē nō eis aſſuerunt, alterum ab altero nequeunt diſcernere, iis autē qui vnà vixerunt facillima eſt dinotio, ita habet in omnibus quoq; medicamentis. nam qui inter ea educatus eſt, & frequenter vidit, ex facili paruitatis differentias & inuenit & cognoſcit. Qui vero ſemel aut bis conſpexerit, tanq̃ indifferens alterum ab altero ſpectabit, quod nonnunq̃ manifeſtiſſimum habet diſcrimen, ei qui frequēter intuitus eſt manifeſto apparens, vt etiam ex vno accedentium ipſis facile ſit cognoſcere. nam ſagapenum ex galbano, non habet proprietatis odorē eundem cum eo quod propriè ſagapenum dicitur. Quod enim huiuſmodi rerum periti ſic nominant, odoris ſpeciem hircinam, ſagapenum ex galbano nō exuit, verùm in tali ſagapeno, atq; hoc galbano, haud magna ad medicamēti compoſitionem differentia exiſtit. Ambo ſiquidem conueniunt aduerſantúrq; virulentis & deleterijs, ſed galbanum minus ſagapeno. At opocalpaſon letale eſt, multóſq; forte fortuna noſtris temporibus propter inſcitiam myrrhę quæ opocalpaſon habebat interijſſe nouimus. nam de induſtria nonnulli ipſam præparantium, vt laudatiſſimam iniecerũt, quòd collyrijs inditam, optimum eſſe medicamentum viderent, vt quæ pus citra roſionem diſcutiat, nōnunq̃ etiam ſuffuſionem incipientem ſubſtātia tenuem. ſiue autem in emplaſtrum, ſiue in ceratum, aut aliquod digerens medicamentum quod intrinſecus imponitur, huiuſmodi myrrham inijcias, virtutem ipſius augebis, verùm intra corpus aſſumptũ letale eſt medicamentũ. Hæc igitur fuſius dicta ſunt, tũ propter ſermonē ſubſequētem, tum ſpeculationis vtilitatem. Præterea verò ſimplicium medicamentorũ quæ Theriacę immittuntur ordinem ab Andromacho ſcriptum perſequi tempeſtiuum eſt. Tradit itaq; tertium ordinem medicamentorum ſingulorũ duodecim drachmas recipientium, quæ omnia præparabis in ſuo ipſa vigore deligens, exempli gratia roſas ſtatim ſiccans quidem, vt in paſtillis expoſitum eſt præſtantiſſimas, capiens autem ex eis quæ longè omniũ ſuauiſſimæ ſunt. Quinetiam alijs rubicundiores, diligentia adhibita ne vllum medicamentum in ſubterraneis domunculis pręſertim humidis reponas, in quibus ſitus celeriter prouenit. Deinde verò illyricam iridem Andromachus roſis inijciendam cenſet, quem ſermonem ne obiter inaudias, ceu de alio quodam medicamēto de quibus infrà dicturus ſum, optima in vnoquoq; genere quale ſit, edocens. Polium itaque & chamædrys Romam apportantur paulo præſtantiora ijs quæ in Italia naſcuntur. In quibuſdam enim locis Italiæ non multo inferiora creſcunt, illis annis quibus ver totum nō humidum euaſerit, quemadmodum ſubinde fit in modum æſtatis. Verùm quum ſiccior aëris conſtitutio oboritur ea quæ Italia profert Cretenſibus ſimilia, aut non multo deteriora quædam naſcũtur, exempli gratia chamædrys, chamępitys, hypericum, gentiana, thlaſpi, nigrum veratrum, aliáq; ſimilia. At de iride non ita habet. nam ſi conferas eam quæ ex magna Libya Romam copioſiſſima adfertur, tātum ab Illyrica abeſt quātum mortuum corpus à viuo, non tamen in alijs nationibus ita multum abeſſe apparet. Atq; in huius genere odoratio rem deligito, quemadmodum in alijs medicamētis. Vnumquodq; enim præſtantiſſimum eſt quod proprium generis ſui odorē habet valentiſſimum, quod ex multa inſpectione ſingulis innoteſcit. Quinetiam de guſtus qualitate ſimiliter, proprietas in vnoquoq; genere primas obtinēs

optimum declarat medicamentum:ignobilia autem habentur, quæ in suo genere & tenuiora, & minus procera:præstant enim in quolibet genere non rugosa neq; exilia,quemadmodum quæ modum excedunt, deteriora iudicantur ijs quę bene nutritam constrictámq; habent consistentiam. Quamobrem, vt dixi, multa subinde spectasse conuenit,præcipue optima & quæ longo tempore experimēta ab origine suijpsius exhibuerunt, vnóq; cõsensu à medicinalis materiæ peritis commendata. Omnes itaq; prodiderunt irim quidem esse laudatissimam quæ in illyricis nascitur:Petroselinum verò Macedonicum,bitumen iudaicum,quemadmodum & opobalsamum,ac de alijs similiter, de quibus deinceps in peculiari singulorum sermone virtutem à regione proficiscētē non omittã: deinde vero dulcis radiculæ succi, & napi syluestris seminis meminit:quę vtraq; ex Creta præstantissima adferũtur,potissimúmq; dulcis radicula,tum ipsa, tum ipsius liquor. Scordion optimum ex Creta nobis aduehitur, quanq̃ non malũ in alijs nationibus sit inuenire. Porrò memoriæ traditum est à viris quibusdam fide dignis, quũ bello mortui pluribus diebus inhumati iacuissent, corpora quæ super scordion forte fortuna procumberent, multo magis q̄ alia à putredine immunia permansisse:& maxime illas corporis partes quæ herbam scordion contingerent; ac creditum est putriferis animaliũ venenis & medicamentorũ deleterijs succurrere, sed traditũ est abũde de tota medicinali materie quinq; Dioscoridis libris,à quo præter alia etiam olfactus,gustatúsq;,qualitates quibus potissimum probatiora medicamenta à deterioribus cognoscuntur discernũtúrq;, licet tibi condiscere. In nonnullis etiam visorias qualitates non parum conferre reperies, sed mihi in præsenti opere institutũ est,nõ quę ab alijs recte tradita sunt huc transferre, sed quæ desiderantur,manifestò interpretari. Inde opobalsami & cinnamomi in prædictis versibus Andromachus meminit, in quibus post traditas à Dioscoride notas maximum est ea prius inspexisse, in qua regione vnumquodq; ipsorum præstantissimum gignitur, quemadmodum ego conatus sum, sciens opobalsamum varijs adulterari modis, vt ægrè possit dinosci, ipse videre quomodo id liquorem fundat, ac inde ceu regulam quandam aliorũ obtinere. porrò didici multas ipsius adulterationes, vt etiam exercitatissimos lateant, quas publicare scientes non dignum æstimo, ne praui ipsas in transcursu discentes, in opere ad malas actiones transferãt. Neq; enim eos qui letalium medicamentorum scripturas inuulgant, probo. Si igitur probationes à Dioscoride ac alijs qui de singulorum medicaminum materie scripserunt, expositas ipsis adferatis, vestris ipsi oculis multa speculati, exacte inuicem poteritis discernere, quæ discerni est possibile. Quorũdam enim (vt dixi) aut nulla prorsus, aut nõ exacta est discretio, verum notæ eorum quæ dolose paratæ sunt confundũtur. At de cinnamomo contraria ijs quæ in opobalsamo dicta sunt, sentio. Persuasum nanq; mihi est, optimum cinnamomum ijs qui crebro viderunt omnium facillimè posse dinosci. Hoc autem aliquē assequi non licet, nisi quis Principum cinnamomorum quæ in sex fere differentias generales diuiduntur, præparationem conspexerit. Est namq; in his ipsis insignis optimi ad deterrimum excessus, quēadmodum in cassijs, vt optima cassia parum à prauissimo cinnamomo absit. item quia cinnamomi vis inter vtendum diuturna haud efficitur. Quippe ne ad triginta quidem annos facultas ipsius quam initio obtinebat, integra

conseruatur. At nonnulli nugantur, qui ex huiusmodi medicamentis cinnamomum senij expers permanere pronuntiant. Neq; enim centum, neq; ducētis annis interea delapsis, sed paucis, si tantum numerum respicias, mutationem iam aliquam vetustiori cinnamomo obortam vidi. Quum itaq; Theriacam Antonino præpararem, vascula multa lignea conspexi: alia Traiano imperante scrinijs recondita cum cinnamomo: alia principatu Adriani: alia regnāte Antonino qui Adriano in imperio successit, ac omnia cū congeneri cinnamomo manifesto seinuicem superabāt, tum gustus, tum odoratus imbecillitate & vehemētia quātum & tempore euariabāt. Quinetiam quum asportatum esset aliquando ex Barbaria scriniolum quatuor cubitos dimidiúmq; longum, vbi arbor tota cinnamomi primi generis erat condita, vnde compositionem quandam imperatori Marco Antonino molitus, totum expertus sum antidotū abunde alijs præcellere, vt, posteaq̃ imperator ipsum degustasset, tempus non expectauerit, quemadmodum in alijs, in quo medicamentum concoquetur, sed statim vsus sit, ne duobus quidem mensibus integris interea preteritis. Verum vbi Commodus ipsi successisset, neq; Theriaces antidoti, neq; cinnamomi ratione ab ipso habita, tum arboris illius reliquum, tum quodcunq; aliud post Adriani tempora apportatum est, totum interijt. Quare quum huius tempestatis nostræ imperator Seuerus iniunxisset ipsum simili modo quo Antonino præparabā antidotum cōponi, coactus sum ex ijs, quæ Traiani, Adrianíq; tēpore erant seposita, deligere, ac mihi euidēter imbecilliora euasisse nūc apparebāt, ne triginta quidē annis interea absolutis. quapropter sermoni de optimo cinnamomo habito aliquid necessarium cogito adijcere, vt sit odoratissimū, indicibilē quādam odoris gratiā super alia omnia referat, gustanti calidum admodum percipiatur, non tamen vt moleste rodat, colore autem tale, veluti si quis lactis colorem giluo admiscuerit cum modico cæruleo nuncupato. Sumpto autem ex eo quantum volebā, sicuti consueui, paucos ramusculos apud me reposui in scriniū, vbi omnia quę mihi chara, & in pretio erant, continebantur. At eo combusto, quādo etiā Pacis delubrū incēdio flagrauit, cū alijs quinq; cinnamomi generibus totū quod cōparauerā intercidit, quā ob causam imperatori nostro qui nūc existit, antidotum cōfeci cinnamomis quæ Adriani tēpore erāt apportata, ad hoc delectis, de quibus etiā ipsis quū vtile quippiā lectoribus possim adijcere, cōmemorare id nō subterfugiā. Multa igitur sunt lignea ipsius vascula, quæ in hūc etiā diem reseruantur, omnia verò cōtinent cinnamomorū, multis radicibus, aut multis ramis siue quocunq; modo libeat appellare extantiū differētias, nullū verò tanq̃ caudex in multos ramos fissus in lōgitudinē ampliorē est exporrectum, sed qualis vtriq; veratro species est, & magis adhuc ei quod damasoniū quidē appellatur, ex Creta autē nobis adfertur, singula verò ipsa, ex vno fundo veluti fruticulus quidam enascuntur: hic sex, ille septē ramorum propagines obtinens, aut paulo plures, aut pauciores, non ęquales sane oēs longitudine, sed maximus ipsorū dimidio pede Romano minor non est. Porro tota ipsius substantiæ natura præstantissimæ cassiæ propemodū est cōsimilis, quę ab importantibus ipsam barbarico nomine dissyllabo nuncupatur, ita vt prima syllaba constet γ & ι: altera ex ξ & ι. Hæc nobis de cinnamomo dicta sufficiant. Cæterum quoniam agaricum deinceps scriptum nullam adulterationem recipit, hoc solum intellexisse erit

abundè, quod etiam priores tradiderunt: leuissimum in ipsius genere esse laudatissimum; densum autem, graue, lignosúmq; deterrimum. Quantũ vero in horum medio consistens, ab vtroq; notis recessit, tantũ quoq; virtute deficit. Porrò quæ post commemorata habentur, nempe myrrha & costus, haud ægrè cognoscuntur ijs qui iam antea viderint; sed sciendum venit myrrham troglodyten dictam antidotis rectè accommodari: nonnulli eam vocant minæam à regione vbi præstantissimam gigni asseuerant. Gratissimi verò sit odoris & nullo vitiata liquore, vti à nobis antea est commemoratum. Crocum sanè omnes veteres, adeóq; poëtæ ipsi coryceum commendant; ego verò tum coryceum antrum in quo nascitur, tum crocum ipsum exactè sum speculatus, procerum sanè, non tamen super vniuersos alios, aut robore odoris præsentanei, aut diuturni differentem. His autem optimum vos iudicare censeo, non quòd proceritate excellat. Iam verò omnibus cõstat optimum esse tum flauissimum, tum odoratissimum, & longo tempore in vigore suo persistentem. Quoniam verò & hic adulteratur, ita vt haud facilè possit dinosci, præterq̃ ab ijs qui sępè admodum præstantissimum viderint, satius nobis est ex longo tempore antea coemptum in apto quodam ædium receptaculo repositum habere, sicuti prius à me dictũ est. Maxima enim est probatio, si talis permaneat qualis fuerit assumptus, nam adulterati & color & odor celeriter euanescunt. At de cassia necessariũ est mihi commemorare id quod in multis medicamentorijs libris memoriæ proditum est, nempè cinnamomi penuria duplicatam cassiæ portionem esse inijciendam. Quippe Satyrus præceptor noster hoc irridens dicebat, tanq̃ Quinto imperitam orationem vnã etiam hanc proferente, simile quippiã eos facere qui cassiam duplicatã inijcere præcipiunt cinnamomi inopia, quẽadmodum qui iubent vini falerni penuria duplicatũ id quod in tabernis venditur esse bibẽdum. Et si panis nõnunq̃ desit purus, furfuracei dicti duplicationẽ esse ingerendã. Mihi verò ratio hęc placet, & si de vno quodã ipso quod per se priuatim in vsũ perduci debeat dictum fuerit, in totũ vera & vitij expers esse videtur. in cõpositione autẽ multorum, non item vera. Vnũ enim quodcunq; si assumere oporteat, verbi gratia Rhu, aut absinthiũ, aut iridem, aut gentianã aut aliud eiusmodi medicamentũ quodlibet, si duplũ ipsius prauum loco præstãtissimi adferas, vel extrinsecus, vel intus in corpore, duplicatum oberit, quũ autem multis particularibus vnum excellentissimum miscere conuenit, aliorum virtutẽ augebit simpliciter inditũ, si generosissimi copia non datur eo quod idem genere promittit, duplicato vti, malũ nullũ fuerit, etiamsi optimo videatur deterius. Cassia verò cinnamomo genere proxima est, vt quæ nõnunq̃ ex mutatione ipsa euadat cinnamomũ, vt totũ quidẽ veluti arbor exacta cassia videatur, surculi autẽ nonnulli in ea cinnamomi, ramis cassiæ continui reperiantur. Persimile autẽ est huiusmodi non ei quod in vinis, aut pane solet accidere, quẽadmodum Quintus aiebat, sed ei quod in vitæ actionibus, ædificationibus, nauiũ structuris, grauiũ corporũ eleuationibus, translationibúsq;, in vrbibus, in omnibus præsidijs accidit, in quibus quod per vnũ validũ efficitur, hoc absente, per duos imbecilliores administratur. Hæc igitur cõtra Quinti orationem tractata sint, ne omnino repudianda esse sentẽtia eorum videatur, qui in vicem cinnamomi cassiæ duplũ inijciendum censent. Ego verò semper cinnamomũ indidi. nam omnibus qui-

bus medicamentum præparaui, aut amicis imperatoribus, aut opulẽtis non difficile erat: alijs quidem à rege petere: alijs etiam à quodam coemere. At huic adijcere quòd nunquam quoties imperatoribus confeci medicamentum cinnamomi laborauerim inopia, planè eſt ſuperfluum. At verò de carpeſio Quinti ſententiam quam non à Satyro ſolùm, verùm etiam ex alijs quoque diſcipulis Quinti audiui, præſtat commemorare: Ille ſiquidem inijciebat (vt aiũt) quum cinnamomi facultas non dabatur, carpeſium, ceu optima caſſia viribus nihil inferius, eóq; magnam ipſius copiam quum ex profectione quàm in orientalibus regionibus ſubij apportatam diligenter repoſuerim, in hunc vſque diem non paruam habeo, quod & odorem & guſtum cõſeruet, licet non priori æqualem, certe nõ omnino euanidum. Eſt autem ſimilis genere phu appellato, ſed valentior, & nonnihil etiam odoratum repræſentans. Plurimum autem in Side pamphiliæ carpeſium hoc gignitur, atque adeo facillimè emitur, quare ſi quis veſtrum illuc quandoque contendat, copioſiſſimum exportet, ſciens diu id ſibi ſufficere. Porrò tenues feſtucę ſunt perſimiles ſurculis cinnamomi, vocántq; indigetes alterum ipſorum laertium; alterum amarum, quod etiam præſtantius eſt. vtriuſq; autem à monte vbi naſcitur cognomentum exiſtit, cuius ſanè quum copiam haberem etiam & alia pleraque particularia ſum expertus, ad quæ & pheu dictum immittimus: eſt enim ipſum conſimile quidem, ſed valentius, & vt dixi odoratę qualitatis nonnihil, & odote & guſtu repræſentãs. Cæterum ex his omnibus quæ de caſſia retuli maxime eſt neceſſarium, diffinire qualis caſſia ſit inijcienda, quum Gizi maxime commendant. mox appellatam moton. Sunt qui atebo & daphniten. Quòd igitur Gizi cinnamomo in omnibus reſpondeat, dictum à me antea quoque eſt. Nam quæ maxime ſibi continua ab huiuſmodi rerum peritis ceu cinnamomum venditur, eiuſdem generis exiſtit. Sed fiſtulam dictam ab aliquibus, iunior Andromachus inijciendam cenſet. Omnibus autem hæc cognoſcitur, quinetiam facillimè omnium comparatur, exteriorem ſane corticem, quem & fiſtulam dicunt fortẽ, tum odoratu, tum guſtu obtinet, medullam verò imbecillimam, vt nullus ipſius vſus eſſe nobis poſſit. Itaque præſcriptis elegis indiſtinctè caſſię nomen prolatum eſt, in pedeſtri autẽ, filij ipſius ſcriptura adiectum inuenias caſſiæ, nomen fiſtulæ, ac ab illo in hunc vſq; diẽ tradita nobis ſucceſſio eorum, qui imperatori antidotum conficiunt fiſtulę nomen adiectum habet. Poſt commemoratam ſuperius, Andromachus indicam nardũ indi iubet, quam & ſpicam nardi appellamus, licet radix exiſtat, à formæ ſimilitudine quam cum non ſpicatis obtinet. in qua cauendum eſt, ne quis elotam dictam tradat. Eſt autem illa ijs qui vnguenta præparant, in coctione ipſorum, ſicuti conſueuerunt, prius in vſum miniſteriúmque adhibita, quæ acærios, quod eſt pura, venũdatur. Quapropter etiam omphas appellatas, barbarica lingua accipere conuenit: quarum & circumlita terra radici decocta nardi odorem repræſentat. Præterea iuncum rotundum Arabicum immitti præcipit, qui à vulgo, haud ſcio quomodo, iunci rotundi flos dicitur: etſi nos non adeo floris copiam habeamus, tota quæ aduehitur herba ſubinde ex parte ſuperioti à camelis eroſa. Libentiſſimè autem eam depaſcuntur, & copioſiſſimam in Arabiæ vijs creſcentem habent. Eſt item parui pretij medicamentum, & ſolo odoratus vigore diſcernitur, quum gratia illius odoris celeriter euaneſcit.

Iam verò quum Andromachus ſcribit, Thus miſcebis & aglaiã quod eſt pulchrũ, ſtatues, aglaiã non diſquirendum eſt ceu alterius medicamẽti nomen. Nã in compoſitione Antidoti pedeſtri oratione ab Andromacho iuniore ſcripta, & ea traditione quæ hucuſq; ad nos peruenit, neq; medicamenti alicuius nomẽ eſt aglaia: & medicamẽtũ duodecim drachmas põdere trahẽs omnino concordi ſentẽtia & ſenior & iunior Andromachus deſcripſit, ac nihil extra illa additur, de quo Aglaię nomẽ dici quis putauerit: quãobrẽ fortè Aglaia epithetũ thuris authori elegorũ adiectũ eſſe videtur. Deinde nigri piperis, dictãni, marrubij, rheu meminit, rerũ omnibus cognitarũ. At ſcriptura ex ſucceſſione nobis tradita, adiectũ habet piperis ęquale põdus. Cęterũ hoc maius eſt alio pipere, & corticẽ habet tenuiorẽ, minúſq; rugoſũ. At Rheu quoq; ipſum adulteratur: quãdoquidẽ ſtatim ex regionibus vbi gignitur, recens nonnulli capientes ipſum, decoquentéſq;, vt ſuccum demittat, vbi illũ coxerint, nobis ceu purũ, & aquæ nõ mixtũ tranſmittunt: Rheon autem ſiccatum, tanq̃ neq; id prius incoctum, ablegant: idcirco adulteratum cognoſcere oportet: iis facillimũ deprehenſu, qui ſua ſponte naſcens rheon viderũt. Neq; enim quod aſpectu ipſius iudicatur denſum, cõtractúmq;, totam ita habet ſubſtantiam, ſed tarius eſt, ac in guſtu aſtringentem qualitatem omnino obſcuram, aut nullam obtinet: etſi validam occupet rheon, quum viget: perforatur autem & ipſum celeriter. Stœchas naſcitur copioſa vbique terrarum. Quum autẽ copioſiſſima proueniat in Creta, & Cycladibus dictis inſulis, vnde etiam nomen ipſi ex Hiſpanienſi mari inditum, procerior meliórq; eſt quæ ex Cretæ inſulis petitur. Petroſelinon noſcitur quidem omnibus collaudatum Macedonicum, quod etiam nonnulli eſtreaticon à regione vbi gignĩtur, nomenclaturam ei imponentes, appellant. Omnino autem paucum eſt, quod in illo loco naſcitur pręcipiti, neq; magno. At Eſtreaticon Macedonicum, à Macedonibus in omnes nationes apportatur: paucũ ſanè & ipſum in Macedonum terra prouenit: verum quod in melle & vino falerno, id etiam in petroſelino accidit. Nam in omnem ferè terram mercatores, ſicut Atticum mel, & vinum falernum, ita quoq; macedonicum petroſelinum exportant; quum tamẽ ipſum nõ tantũ generetur, vt vniuerſis gentibus ſufficiat, ſed in Epiro plurimũ gignitur petroſelinum, quẽadmodum in Cycladibus inſulis mel. Atq; hoc ſanè ex inſulis Athenas importatur, illud ex Epiro prius quidem in Macedoniã, copioſiſſimúmq; & prope totũ in Theſſalonicen, inde verò tanq̃ Macedonicũ effertur. Ac in vino falerno ſimile quid accidit. Nam quum in parua quadã Italiæ regione paucum generetur, ceu inde illud ipſum exiſtat, in omnẽ Romanorum imperio ſubiectam terram infertur, ita vt alia vina in ſimilis adulterationẽ ab huiuſmodi rerum petitis præparentur. Quòd ſi verò eſtreaticũ interim deſideres petroſelinum, nihilo peius tibi fore putato Theriaces medicamentum, ſi alterũ inijcias. non enim deleterijs medicamẽtis, aut virulentarũ beſtiarũ morſibus adeo aduerſatur, ſed hydtopicis imbecillibus, & ſi qui ſint huiuſmodi affectus, ſuccurrit: nõ tamẽ principaliſſimo Theriaces promiſſo. Reddit autẽ ipſam amariorem indubiè eſtteaticũ petroſelinum, maxime ſi recẽs exiſtat. Differt autem vt acerrimum ab alijs petroſelinis, ita quoq; amariſſimum. At terebinthinã haud ſcio quomodo libycam Andromachus immittere præceperit: ea quæ ex Chio eſt poſthabita, quum tamẽ ab omnibus propemodũ præponatur, quanq̃

& ex Libya optimam commendem. non enim quælibet est optima, sicuti quæ ex Chio adfertur. Iam vero quæ in Pontica terra, & alijs quibusdã gentibus præstantissima terebinthina resina nascitur. verum Chia & odore & gustu omnibus præcellit. Post commemorata deinceps Andromachus in Theriaces compositione, scripsit: gingiber & pentaphyllon seu penrapetalon herbam, quod est quinquefolium, inijciemus, medicamenta quæ neque adulterantur & omnibus sunt cognita. Deinde polij meminit omnibus noti, & quod nihil simile obtinet: mox chamæpityos, de qua tantum me in oratione adijcere oportet, nempe quòd vbique terrarum crescat, & odore & gustu ea quæ in Creta prouenit vehementior, adfertur autem nobis inde, vt etiam ij qui Cæsari medicamentum conficiunt, semper cretensi vtantur, etsi in ipsa quoque Roma, in suburbijs, tum chamæpityn, tum chamædryn, offenderim, ijs quæ ex Creta feruntur odoratiores, vbi non multo imbre fuissent irroratę. Prærerea etiam hoc scire expedit quòd herbarum ex Creta venientium, inuolutarúmque chartis quibus superscriptum est vniuscuiusque herbæ nomen, nonnullæ quidem simplicem habent descriptionem: nonnullæ verò, cum additamento, campestris. inuenies autem campestrem generosiorem, etsi plurimæ herbarum in campis generentur imbecilliores. Styracem constat inijciendum esse, qui in arundinibus ex Pamphylia adfertur, quíque paucissimus gignitur, & tanto discrimine à copioso hoc styrace euariat, quãto falernum vinum ab eo quod in tabernis venundatur. Cæterum ex ipsius genere capere oportet calidissimum. constat autem & odore hunc esse valentissimum & gustu nihilo minus. Secundum hæc nardi Andromachus commeminit, vt ipse adscripsit, eius quæ ex Galatia adfertur, quam consueto vocabulo, huiusmodi rerum periti celticam nominant. confundũtur enim quodãmodo hæc tria nomina de vna gente celtica prolata, vocãt vtiq; ipsos nõnulli Galatas, alij Gallos, sed familiarius nomẽ Celtarum est. De subsequẽtibus in scriptura medicamẽtis partim sanè prius dictũ est, quẽadmodum in lemnia terra & Milto; præstat autẽ eam vocare non milton, sed terrã; est enim aliqua Lemnia miltos in Milto prouenies, alios ad vsus idonea, non tamen ad quos Lemnia sphragis appellata, verùm de his quoque proditum est quemadmodum de alijs, in opere de simplicibus medicamentis. Insequentia medicamina propè vniuersa, & cognoscuntur omnibus medicis, & dolum non recipiunt. Quædam ipsorũ manifestius indicantur in Theriaca quæ prosa oratione scripta est. Item hoc:

Cæruleæ ast spinæ lachryma.

Innuit enim acaciam ex Aegyptia spina nascentem. Itaq; solum adhuc restat vt de thlaspi dicamus, quoniam & ferè omnia inijciunt, tum quod ex Creta adfertur, tum quod vbiq; nascitur, quod colore quidem pallido flauum est, figura rotundum, admodum exiguum vt milij decima pars existat. Sarius autẽ est id quod ex Cappadocia euehitur, immittere. quod colore ad nigrius permultũ vergit, figura nõ exactè rotundũ, & magnitudine multo maius q̃ supradictũ. Cæterũ habet in quadã sui parte etiã veluti infractũ quẽdã exiguũ, vnde etiã thlaspi nominatũ est. Crescit autẽ sicut & hoc, ita alterũ quoq; in Cappadocia copiosum. Quare nõ omnino id qđ adfertur à Cappadocia optimũ est, sed quod ꝓprie in ea nascitur dissimile Cretensi, & quod diuersis terræ locis prouenit. Porro

ſi etiam aliud quippiam nō perſpicue ſatis elegiacis numeris ab Andromacho ſeniore dictum ſit, id declaratum tibi eſt, qui ſcripturam filij ipſius Andromachi proſaice expoſitam intelligas, quemadmodum & hoc:

Actæo melle perungens

Omnia, quæ miſces theriacæ antidoto,

Id eſt, melle attico. Centaurium itaque in ſcriptura ligata non diſtinctum eſt quale dicat: in pedeſtri verò, adiectum eſt tenue, eo quòd & aliud centaurium ſit amplum. Pari modo etiam ariſtolochiæ tenuis dictum eſt, nam alia quoque inuenitur procera radice. quẽadmodū etiā tertia quædā præter has eſt rotūda.

Quomodo Theriace præparetur.

Diximus etiam antea eum qui medicamentum ſemel confici ſpectauerit, nō amplius opus habiturū vt iterum, aut tertiò inſpiciat. Verùm vt optima in ſingulis medicamenti generibus diſcernat, non ſemel, bíſve, & ter, ſed admodum ſæpe ſpectaſſe conuenit ea, quæ præſtātiſſima in vnaquaq; regione gigni credūtur. Habendæ itaq; ſunt etiam ad horum vſum indicationes, de quibus iam antea quoq; egimus, verùm etiam nunc paucis ſummatímq; de omnibus tractabo. Radices quorumcunq; fuerint vtiles, intentum habere corticem, non rancidum oportet: id nanq; macræ radicis eſt indicium. Fructus autem cum ſurculis germinibúſq; dictis, præcellentes multóſq;, vnà cum ijs quæ fructibus adhæreſcunt. Semina quemadmodum etiam radices, plena, proceráve, ex cortice integro cognoſcuntur. Liquores ſucciq; non exiccati tempore, neq; inualidas ſinguli ſuas quiſq; habere qualitates, & guſtu, & odore, iudicantur. Fructus itaq; cum ſurculis, floribúſq;, & folijs, quæ in his ſunt, in Theriacen immittūtur: huiuſmodi herbarum, ſcordij, nepitæ, marrubij, ſtœchados, dictamni, polij, chamædrys chamæpityos, hyperici, cētaurij. Radices autem horum: gingiberis, ireos, rheu, quinquefolij, coſti, nardi indicæ, nardi gallicæ, gentianæ, meū, acori, phu, ariſtolochiæ tenuis. Semina autem medicamento inijciūtur hæc: napi, petroſelini, thlaſpi, ameos, anethi, fœniculi, dauci, cardamomi. Hæc itaq; omnia tria genera ægyptijs pilis indere conuenit, quoniam duriſſimæ exiſtunt, ne quicq̄ inter cōtundendum, ex ipſarū ſubſtantia ijs quæ læuigantur, confricetur. Immittantur, vnà cum his etiam hæc: paſtilli ſcillini, paſtilli theriaci, hedychroi magma, piper nigrum, album, & longum, roſę ſiccę, præterea agaricū, crocus ſi ſiccus fuerit, ſphragis lemnia, toſta chalcitis, amomū, cinnamomū, fiſtula caſſiæ, balſami liquor, acaciæ, præterq̄ ſi mollis ſit & liquida, caſtoreum, bitumen, quod græcis ἄσφαλτος & maſculino & fœminino genere dicitur. ſed dictum mihi ſubinde eſt, huiuſmodi ineptiarum rationem nullam eſſe habendam. Porro myrrha & crocus vino macerata læuigētur: ſi quidē tutius eſſe videatur, ipſum natura liquidū, non contundere. Omnes autē liquores vino debent perfundi, vt & ſoluantur, & ad læuigationem fiant idonei: vt ſagapeni, panacis, papaueris, (quē & meconiū & opiū nominãt) itē acacia, quū liquidior tibi videatur, & tundi contumax ſit. ad hæc hypociſtidis ſuccus, & dulcis radiculæ. at thlaſpi, & rapę ſatiuę ſemen, in prima cōfectione quẽadmodū videbā eos qui ante me pręparabāt, etiā ipſe vnà cū ijs quę cōtundūtur in pilā indidi: deinde aliquādo cōſpicatus corpori pilę interno propter viſcoſitatē adhęreſcere, volui ipſa priuatim in mortario prius læuigare, ac deinde vinū eis ſuperfundere, vſq; dum adamuſſim tota diſſoluerētur:

inde miſcere ijs quæ in vino ſeorſim cõmaduerant, detritáq; erãt. Ac thuris lachrymã præſtat per ſe in mortario leuiter cõterere, ne dilateſcat: deinde vbi increueris, in prõptu habere, vt inſpergas ſi libeat, ijs quę ex vino lęuigata ſunt: gũmi vero etiã irrigare vino oportet, idẽmq; tũ priuatim, tũ cũ thuris lachryma in puluerẽ redigere. Hæc quidẽ õnia quo dixi modo præparari debẽt: alia in mortario poſtq̃ pertrita fuerint: alia increta læuigatáq; arida. Quũ autẽ omnia vniri debẽt, liqueſcũt, cũ melle in vaſe duplici: prima ſanè reſina: mox ſtyrax, galbanũmq;, prius cõfracta contuſáq; in pila piſtillis, aut vectibus ferreis, ita vt mellis crudi momẽtũ adiũgat: poſt hæc digitis noſtris dilatata, inijciat etiã mellis nõnihil reſinæ liquefactæ, atq; ita rurſus operculo vaſi impoſito diſſoluãtur. Satius enim eſt nõ amplius mel his iniectis cõmouere, ſed vaſe quod aquę inſiſtit operculato, coctionẽ moliri. His autẽ liqueſcentibus, immittantur ex vino læuigatis arida: miſceãtúrq; dũ abundè craſſeſcãt, atq; ita paulo poſt liquefacta, ijs quę in mortario ſunt, magno cochleari, tepida adfundãtur: ſic vt vir aliquis robuſtus, ipſa in vnitatẽ cogat. Poſteaq̃ probè coierint, ac iam craſſum quod ex eis oritur, appareat: ſuperinijcere mel decoctũ mediocriter, & nimirum etiã deſpumatum oportet. mox increta: deinde rurſus mel: poſtea iam liquefacta miſcere tepida: & omnia in grandi mortario, cochleari magno valẽter cõterere: adiectis quæ ex aridis ſuperſunt, itẽ melle. Vbi verò omnia in mortario cochleari vnita fuerint: indere tũc pilæ oportet: & vectibus ferreis adamuſſim puris, vt nihil ęruginis obtineãt, cõtinẽter tundere: illinendo vectes opobalſamo: nam lentore medicaminis detinẽtur: & ægrè à tundẽtibus eleuãtur. Q uò igitur promptè opus abſoluas, vectis extrema cõtinuè opobalſamo perunges: in hoc ipſum totã eius portionẽ inſumens. Præſtaret autẽ in ſole cõtundere: nã ita citius omnia in vnitatẽ coeunt. atq; hoc vbi feceris, pilã quæ medicamentũ in ſe cõtinet, obtegere cõuenit: atq; ſecundũ quatuor, aut quinq; dies, ſimiliter in ſole contundere: atq; id ex interuallo iterũ atq; iterũ, dierũ ſex aut ſeptẽ vſq; ad duos menſes, aut omninò ad quadraginta dies facere. Hæc itaq; ceu ad medicamenti virtutem ſcripta ſunt omnia. Vt autẽ nigrum ipſum euadat (hoc enim haud noui quomodo cõſuetũ eſt, & qui hoc colore fruſtratur riſui eſt) obſeruare quidẽ oportet: ſcire autem, facultatem medicamenti nihil ex colore immutari. Accidit porrò coloris fruſtratio propter combuſtam chalcitidem flaueſcẽtem, ruffeſcentémq;. Etenim quãuis minima ipſius portio indatur, colorem tamen aliorum ſuperat. Ne igitur in hoc ipſo quoq; aliquis falli videatur, animũ adhibeat ijs quæ dicturus ſum. Q uatuor ſanè in totũ drachmas chalcitidis antidotũ recipit: verùm toſtam multo copioſiorem, hoc modo capiet, indito ollę crudæ chalcitidis drachmas non paucіores quadraginta: deinde per uſtis carbonibus ollam imponens ſine operculo, quum medicamentum fuſum fuerit, videáſque ſuperuehi, id quod leuiſſimum, & maxime ſpumoſum eſt, ſtatim tolles: & humi poſito, non quemadmodum conſueuimus interim ſimiliter ijs qui ignem excitant, inflare ipſi oportet. Mirũ enim quàm interea ruffus flauúſq; color excellat: ſed neq; in ſole ponere conſilium eſt: ſed refrigerati capere quod ſpumoſius inſidet, nihil in ſe neque ruffum, neque flauum, neque pallidum, continens: deinde ex eo cauſa experientiæ ſumens exiguum læuigánſque, ſpectabis num inter læuigandum aliquis ex prædictis coloribus appareat. Si vero quale ſumptum eſt, maneat, porraceum aut

cinereum colore, ex hoc drachmas quatuor inijcere conuenit. Tale ſiquidẽ exiguum in multo combuſto reperies. Itaq; neceſſaria ad antidoti compoſitionẽ & ſtructuram, omnia iam ſunt expoſita. Verùm quum in eadem ſcriptura Damocrates & Crito nonnihil diſſentiant, ſatius mihi viſum eſt, etiam ab illis prodita tradere: ac prius Damocratis ſententiam, quandoquidẽ totum ipſius vſum manifeſto deſcripſit: idque numeris, vt aſſolet: quæ non ſolum quòd facile teneri memoria, ſed etiam quòd pondera ac menſuræ in ea adulterari nequeant, conducit. Damocrates itaq; libro quo antidota hunc in modum tradit, à communi ipſorum vſu, & Theriaces ſpecie incipit.

Antidota confert præparata condere
In primis ad horrenda deleteria,
Quorum videntur inuenta eſſe nomine:
Hæc pharmacis aduerſantur letalibus
Si præbeas nonnulla ſuſpicantibus
Ne pharmacum quis inter cibum, aut poſtea
Aſſumat: vbi verò letale ingeſſerit
Cibis modo inditis, hic prorſus omnibus
Vomitu reiectis, bis, ter, imperes ea
Quum manſerint maligni ſigna pharmaci.
Item valet antidotum ſerpentibus malis
Et beſtiarum virulentis morſibus
Hydri, Ceraſtæ, dipſadis, ſic aſpidis
Et viperæ, & canis quem rabies occupat.
Sunt nanque morſus horum valde noxij
Et quæ mari degunt, ſimpliciter omnium
Mittentium virus, eorum quæ vocant
Inſecta, veſpę, ſcorpionis atque apis,
Item phalangij nocentis plurimum,
Aranei muris, denario amplius
Prodeſt antidoti, vel nux quantum continet
Mixtis meracioribus cyathis decem.
At morſibus malignis non ſatis ſemel
Offerre antidotum, ſed dabis frequentius,
Si tu metus ex toto cures tollere.
Idem propina vitia aduerſus omnia, &
Morbos qui ſpatio prauum præbent corpori
Habitum, ad febres redeuntes, item tempore
Longo rigores hærentes, doloribus
Qui conferunt locorum abſceſſus principum,
Item valet vuluis diſtortis flatibus,
Aut qui coli, veſicæ, renum, ſentiunt
Longos dolores cum vlcere, aut cum calculis.
Et ſi iecur negotium præbet, dabis
Ritè, frequenter ſanguinem educentibus
Ex pectore, fæculentum, & pus reddentibus

Ex qua id feratur parte, vel ex pulmonibus,
Adhæc quibus rupta aut quædam vulſa intima
Præbebis ipſis: nam dolores & metum
Tolles, etiam quis haud promptè coquitur cibus
Quantumuis exiguus, aceſcit autem protinus:
Necnon propina, quos cogit profectio
Longinqua aquis vti longè deterrimis,
His antidoti quantum tres pendent obboli
Aquæ calentis cyathos tres, aut quattuor,
Horis ante cibum ternis da, vel pluribus,
Aut qui malè veſica habent, aut ſanguinem
Spuunt, aut ſtomachi langueſcunt vlceribus,
Ex paſſo antidotum temperatum præbibent.
Et pectoris quos fluctiones totius,
Cruciant, faſciculum polij decoquens aqua,
Præſtiterit autem Cretici, aut Scythici magis
Aut Pontici potius, nam ſiſtes reumata,
Ternis (vt ante dixi) cyathis offeres.
Quidam doloribus permagnis aurium
Paſſo ſubigentes cretico, meatibus,
Per quos facultas audiendi ſpargitur
Lanam antidoti liquore irriguam collocant.
Porrò bonum cui antidotum curæ eſt reddere
Is cunctas habeat miſturas ſiccas probe,
Et Theriacum elaboratum (ſicut vocant)
Paſtillum, ita paratum, vt indicabimus,
Nam conſtat hic bonis miſturæ pharmacis:
Aeſtate veras prima ſumis viperas
Captas recens, notandæ magnitudinis
Eáſque viginti, aut paulo plures item:
Hoc nanque non erit nimis medicamini.
Quum præparas, tres digitos amputa caput
Paulóque caudam magis, hanc pòſt, illud prius.
Sed aggredi iſtud donec viuunt, conuenit.
Hinc cute detracta vt anguillis facillime
Totam eximes ipſarum pinguetudinem:
Ac poſtea quàm laueris, dimittito
Ollæ, & mediocrem anethi faſciculum aridi,
Affuſo aquæ quod ipſis ſufficit incoque
Donec caro relinquat oſſa promptius:
Et fictili remoto ab igne, condito
Carnem oſſibus puram, pari addens pondere
Panem triticeum haud ſordidum, tritum probe,
Pauxillulum decoctionis iuſculi
Fundens ſupèr, paſtillos tenues fingito:

Siccato & orbiculis theriacis vtitor.
At scillinos hoc rursus effinges modo,
Scillam cum folijs magnitudinis bonæ
Albámque sumptam toto purga cortice,
Omnem eximens radicem lignosam vndiq;
Circumlitámque massa tritici, clybano
Ipsam reponas, quum verò coctam probè
Putaueris, tres eius libras sumito
Huic iungito tenuissimæ libram semis
Erui farinæ paululum retorridi,
Ac leuigans subtiliter statim pilas
Effinge tenues admodum: siccas, vbi
Libet recondes. ne talis sit mistio
Ignota Theriacéque dicta persequar,
Vt vsum quoq; fuisse Mithridatem ferunt
Quum bibere medicamenta eum necessitas
Omnis, nociua cum liberis bellantibus,
Nullius ipse noxæ sensum pertulit,
Sed ense detruncatus vitam perdidit,
Gnatæ verò potu interierunt pharmaci.
Ipsam parabis sic: scillinorum orbium
Drachmas viginti bis (aliàs bis quattuor)
Sed orbium theriacorum bis duodecim:
Nigríq; piperis, opij, & sicci magmatis,
Quod Hedychroa quondam vocabant vnguina
Bis singulorum duodecim denarios,
Radiculæ dulcis succi, aridæ decem
Atque insuper duas, rosæ siccę pares
Et cinnamomi, ad hæc opobalsami boni
Atq; ireos præterea, quam dat Illyris
Aequale pondus, agarici albi, seminis
Napi, vniuscuiusque drachmas duodecim.
Et scordij tantundem cretici addito.
Myrrhæ, croci, rheu, petroselini, stœchados
Siccę calaminthæ, quinquefolij, præter hæc
Radiculæ, atq; galbulorum seminis
Marrubij, piperis albi, & longi, & indicæ
Nardi spicæ, thuris, necnon terebinthinæ
Costíque candidi, dictamni herbæ, insuper
Iunci rotundi floris, gingiberis pares
Sicci, non rigui, nigræ casiæ corticis
Bis singulorum ternæ drachmæ pondere
Políque & pontici phu, necnon thlaspeos,
Chamædryos, præterea styracis, commeos
Et gentianę, & acori, meũ que insuper

Et cardamomi, ſic fœniculi ſeminis
Hypocyſtidis ſucci, toſtæ chalcitidis,
Cretenſis hyperici adde ſeminis, ſimul
Succi acaciæ humidę, nardiq; gallicæ
Puræ, ſphragidiſq; lemniæ, chamæpitys,
Ameos, ſeſeleos, ſeminis retorridi
Aniſi, amomi vuæ, foliorum malabathri.
Impone drachmas ſingulorum compares
Duas, & totidem balſami fructus quoq;.
Sed non probè aliqui ſingulis dant quattuor.
Opopanacis lachrymæ, præterea galbani
Dauciq; purgati Cretenſis ſeminis,
Et caſtorei, ſagapeni iungito noui
Ariſtolochiæq; tenuis ſiccæ probè
Horum vniuſcuiuſq; drachmas fac duas
Aequale pondus ponito bituminis:
Sunt qui duas cuiq; dent, quod diſplicet.
Frequenter ipſam, veluti ſcriptum eſt, condidi:
Vini falerni mediocrem modum, boni
Mellis recentis attici libras decem.
Nonnulla at horum ſucci, quædam ſemina,
Sunt folia quædam, & lachrymæ, aliqua radiculæ,
Ipſorum minima, & in metallis inuenis.
Succos itaque cum lachrymis & metallicis
Vino teras, dum craſſitudinem vides
Mellis: reliqua coniunges omnia arida,
Contuſa, tenui increta cribro protinus:
Mixtiſque exactè, mel adijcias poſtea
Bis térve ferueſactum. vbi rurſus rigaueris,
Reponito non ligneis, verum magis
In vaſis vitreis, corneis, argenteis,
Et ſtanneis ſeruans, & denſis ollulis.
Da potioni, nec recens factum nimis:
Nec rurſus medicamentum quod perarui:
Sin longiori hoc fuerit ſpatio temporis
Subferueſacito rurſus, addens paululum
Mellis, ſimúlq; abundè temporis terens,
Tandémq; habebis vtile, quod valuit nihil.
Sed inferius eo quod miſcueris ſemel.

Theriaces alterius confectio. Cap. 16.

Quòd itaq; nõnulla cum Andromacho diſcordant, Damocrates ipſe indicauit his verſibus:

Sed non probè aliqui ſingulis dant quattuor. *Atque iterum.*
Sunt qui duas cuiq; dent, quod diſplicet.

Quòd autem & manifeſtius dictum ſit ijs quæ Damocrates prodidit, hoc quo-

que constat: verùm quum alia ipsius Theriaces compositio numeris perscripta apud me habeatur, visum est mihi & illam ascribere, iuxta commoderationem medicaminum eam ingredientium, eò quòd clarior compendiosiórque modò traditis existat.

Theriacen ratione aliquis contemperet ista,
Dauci equidē fructus, panacis liquor, atq; bitumē
Et sagapenū itidem, tū galbana rursus, & ammi
Cum tenui terræ malo, cum castoris ipso
Testiculo, atq; coma centaurē pondera sument
Aequa, duplum styracísq;, ameósq; & anisi,
Phu, poliíque comæ pariter, meu'que, acoríque,
Atq; chamæpiryos, foliorum iridem malabathri,
Sphragidis ex Lemno, mox chalciteos, hypocistis
Flauentis succi, gūmi, & quā gallia donat
Nardi, præterea tenuis thlaspi atq; perinde
Seminis ex seseli, mararhri quod Creta ministrat
Et cardamomi, drachmæ cuiusq; parantur
Quattuor, at myrrha & prasiō, cū stœchade, costus,
Dictamnus, sen as capient hæc singula drachmas,
Quinetiam piper oblongū, albū, prærerea rheu,
Atq; crocus qui corycio defertur ab antro.
Quinque simul folij radix & iuncus odorus,
Et calamus drachmas æquales, & terebinthi
Resina accipient, nardi simul indica radix,
Fistula iam casiæ, infectum thus, petroselini
Montani tenuis semen, sex singula drachmis
Iunge, modo verùm duplicato scordiōn addes
Er rapæ semen syluestris & iris odoræ, &
Sicca rosæ folia, agaricum, succus glycyrizæ,
Balsameúsq; liquor, cinamomū, gingiber ardens
Binas accipient drachmas, & magmatis esto
Bis tantū hedychroi, piperísq; nigri, insuper orbes
Theriaci æquabunt opium, hos bis vincere debent
Pondere scillini, & cunctis mel desuper adde,
Hedychroi vult magma mari binas sibi drachmas,
Aequales & amaraci habens, asari, aspalatíq;
Et iunci teretis, calami qui suauis odore est,
Phu ponti, ligni & succi quem balsamon ædit
Tres sunto drachmæ, totidem costi, cinamomi,
Myrrhę sex alias misces, folij malabathri,
Indorum nardi, flauíq; croci insuper æquas.
Quinetiam casiæ totidem, sed pondus amomi
Sume duplū, drachmā chię sed mastichę habebit:
Hæc vino debent conspergi cuncta falerno.

Reliquum esse mihi videtur, vt tota de theriace disciplina absoluatur, subijcere

in quibus Crito vel à prius descriptis nonnihil dissensit, vel aliquid ex ijs quæ omissa erant addidit.

Quæ Crito de Theriaca in tertio medicamentario libro memoriæ mandauerit.

In medicamentorum symmetria & ipse nigri piperis drachmas vigintiquatuor quemadmodum longi senas immittit. Cæterum chalcitidis vstę drachmas quatuor, mellis attici drachmas decem imponit. feras autem vere desinente in æstatem, aut medio autumno, quod tempus trygetum dicunt, colligere præcipit, cauens nimirũ & æstatem ab initio totam vsque ad caniculę exortum. Item quod hoc tempus subsequitur, nonnulli id proprie vocant oporam, quum fugaces fructus eduntur: & bilis hominibus copiosissima suboritur. In trygeto autem, quod est autumni medio, colligendas censet: capiendásq; ex ipsis grandes & bene habitas, quæ cum anetho solum incoquantur. At carnem ipsarum decem accumulatam panis siliginei vnciæ misceri vult: atq; ita pastillos Theriacos effingi. Scillinos autem hoc modo confici iubet. scillam quum triticum metunt, (tunc enim potissimũ viget) accipere consulit: deinde torrere ipsam abũde in clybano: illitámq; gypso aut luto igni condere, vsq; dum satis tosta fuerit. Postea vbi exemeris, medullam ipsius sumere ac læuigare, miscendo erui partẽ vnam scillæ duplicatę, inde pastillos fingere: & in vmbra refrigerare. Porrò de ijs quæ in pila contunduntur medicamentis accuratè scripsit, dum pellem pilæ tuto circumligari iubet iuxta medium tantillo foramine patescenti, vt non solum contundens lamina per id possit demitti: sed etiam vbi lamina fuerit sublata manus cum cochleari, vt quod contusum est & incerni desiderat, per ipsum eximatur. Oportebit autem aliam quoq; pellem (inquit) circumijci, minori peruiam foramine, quà sola lamina demittatur ad ea quæ pilæ insunt, contundenda: atq; hæc priori ex superna parte inijci debet. Item non statim ipsa detegere conuenit, prius quàm fuliginosa portio subsistat, secundum hæc, vbi cribro discreuerimus, id quod cretum est superne iubet obtegi, ac quum motus constiterit, tunc adaperiri: postea cribrum sublatum pennis abstergi.

FINIS PRIMI LIBRI DE ANTIDOTIS.



CLAVDII GALENI PERGAMENI DE ANTIDOTIS LIBER SECVNDVS, IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

Mithridation



Oſteaquam de Theriaca toto priore libro tractatum ſit, breuem, compendioſámq; orationem, alia antidota requirunt. quæ impræſentiarū perſequi inſtituimus, à Mithridatio auſpicati. quod quidem ad pleraq; deleteria medicamēta eſt efficacius: in viperæ autē morſus curatione, Theriaca inferius. At quoniam tum hoc, tum vniuerſa propè optima, Andromachus ordinē prodidit, vbi interiorū remedia exponit, idcirco ego quoq; omnia ea, illius modo deinceps adiūgam.

ANDROMACHI ANTIDOTA.

Antidotum Mithridation ad letalia peculiariter efficax, internóſq; affectus omnes.

Dulcis radiculæ drachmę ſeptem ſemis, & quaterni oboli, opij drachmę quatuor, oboli duo, caſtorei drachmæ ſex, polij drachmæ quinque, oboli duo, coſti drachmæ quinq;, oboli duo, ſpicę nardi drachmæ ſex, oboli duo, caſſię drachmę quinq;, oboli duo, thuris drachmę ſex, ſeſeleos drachmæ quinq;, oboli duo, hypociſtidis ſucci drachmæ ſex, acori drachmæ duæ, ſcordij drachmæ ſex, oboli duo, folij drachmæ quatuor, gallij drachmæ quinq;, oboli tres (alij drachmę ſex) cyphis drachmę ſex oboli duo, myrrhę drachmę ſex, croci drachmę ſeptē, oboli duo, cinnamomi drachmæ ſeptem, oboli duo, ſtyracis drachmæ quinq;, oboli quatuor, dauci ſeminis drachmę ſex, oboli tres, zinziberis drachmę ſeptē, oboli duo, phu pontici drachmæ duæ, petroſelini drachmæ quatuor, oboli tres, nardi gallicæ drachmæ quatuor, fœniculi ſeminis drachmæ quatuor, nardi indicæ drachmæ quatuor, hyperici drachmæ duæ, acaciæ drachmæ duæ, gentianæ drachmæ quatuor (alij drachmæ duæ) aniſi drachmæ tres, thlaſpi drachmæ ſex, oboli quatuor, meū athamantici drachmæ quatuor, (alij drachmæ duæ) roſarū ſiccarum drachmæ quatuor, gummi drachmæ duæ, cardamomi drachmæ quatuor (alij drachmæ duæ) iunci odorati rotundi drachmæ ſex, oboli duo, opopanacis drachmæ ſex, oboli duo, opobalſami drachmæ ſex, oboli quatuor, galbani drachmæ ſeptem, ſcinci drachmæ duæ, oboli duo, reſinæ terebinthinæ drachmæ ſex, oboli duo, vini chij quod ſatis eſt, mellis attici cocti q̄tū ſufficit.

Aliter Mythridation, vt Antipater & Cleophantus.

Myrrhæ drachmæ ſeptem ſemis, oboli quatuor, (alij tres) nardi tantundem, croci drachmę ſeptē, oboli tres, caſtorei drachmę ſex, obolus vnus, cinnamomi drachmę ſeptem, oboli tres, polij drachmę ſex, oboli tres, ſcordij drachmę ſeptē, oboli tres, gingiberis totidē, coſti drachmæ ſex, oboli tres, piperis albi drachmæ quinque, oboli duo, piperis longi drachmę ſex, oboli tres, dauci ſeminis

drachmæ ſex, oboli tres, caſſiæ drachmæ quinq;, oboli tres, thuris drachmæ ſex, oboli duo, hypociſtidis ſucci drachmę ſex, ſeſquiobolus, nardi gallicæ drachmę quatuor, fœniculi ſeminis drachmæ quatuor, acori, phu pontici, ſagapeni, balſami fructus, hyperici, Illyridis, ſingulorũ drachmæ duæ, terræ lemnię drachmæ ſex, cypheos, ſcinci lumborum, ſingulorum drachmæ ſex, acaciæ, gummi, cardamomi, pelecini, ſingulorum drachmæ duæ, thlaſpi drachmæ ſex, oboli quatuor, gentianæ drachmæ quatuor (alij tres) aniſi drachmæ tres, roſarum ſiccarũ drachmæ quatuor, meu athamãtici tantundem, iunci odorati rotũdi drachmæ ſex, oboli tres, opobalſami tantundem, ariſtolochiæ drachma vna, hyſſopi drachmæ tres, marrubij drachma vna, chamæpitys drachmæ tres, roriſmarini drachmæ quinque, reſinæ terebinthinæ drachmæ ſex oboli tres, mellis attici quod ſatis eſt, vino non addito.

Antidotum Vrbani Indi dictum, ad interiores fœtus excutiendos.

Myrrhæ drachmæ quindecim, croci drachmæ ſedecim, nardi indicæ drachmę ſedecim, cinnamomi, caſſiæ, panacis, ſingulorũ drachmæ tredecim, amomi drachmæ octo, ſcordij drachmæ vigintiquinq; (in alio exemplari drachmæ quinq; habetur) iunci odorati rotundi floris drachmæ octo, meu athamãtici drachmæ tres, roſarum ſucci drachmæ duodecim, oboli tres, phu drachmæ quinque, oboli tres, hyperici drachmæ quinq;, gingiberis drachmæ ſex, piperis drachmæ ſex, piperis albi drachmæ octo, ſtyracis drachmæ quinq;, oboli tres, fœniculi ſylueſtris ſeminis drachmę tres, oboli quatuor, piperis lõgi drachmę quinq; (alij ſex) coſti drachmæ ſeptẽ, oboli tres, trifolij ſeminis drachmæ quinq;, gentianæ drachmæ quatuor, ariſtolochiæ rotundæ drachmæ quatuor, polij drachmæ quinq;, trifolij radicis drachmæ quinq;, oboli tres, cardamomi drachmæ quinq;, echij radicis drachmæ quatuor, thuris drachmæ ſex, petroſelini drachmæ ſex, verbaſci drachmæ ſex, ſeſeleos drachmæ quinq;, cumini æthiopici drachmæ tres, balſami fructus drachmæ quatuor, nardi gallicæ drachmæ ſeptẽ, terræ lemniæ drachmę quatuor, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, oboli tres, cachreos ſeminis drachmæ tres, cypheos drachmæ quatuor, iridis illyricæ tantundem, mãdragoræ ſucci drachmæ ſex, oboli tres, ſagapeni drachmæ quatuor, opopanacis drachmę tres, aniſi drachmę quatuor, hypociſtidis ſucci drachmæ ſex, reſinæ terebinthinæ drachmę quinq;, oboli tres, caſtorij drachmæ quinq;, opobalſami drachmæ ſedecim, rutę ſylueſtris ſeminis drachmę tres, galbani drachmæ quatuor, napi buniadis ſeminis tãtundem, medullę cerui drachmæ ſex, oboli tres, vnguẽti nardini drachmę viginti, ſanguinis hędini ſiccati drachmæ quinq;, oboli tres, & anſerini ſiccati tãtundẽ, anatis ſanguinis drachmæ tres & totidẽ oboli, buphthalmi ægyptij ſucci drachmæ octo, vini chij athamantici quod ſatis eſt.

Antidotum Panacia dia hæmaton id eſt ex ſanguinibus quo vtor, non parum efficaciæ promittens, ex commentario Aphrodæ.

Cinnamomi drachmæ octo, amomi drachmæ quatuor, caſſiæ fiſtulæ nigræ drachmæ ſedecim, croci totidem, iunci odorati rotundi drachmę quinq;, thuris drachmæ quinq;, piperis albi drachmæ quatuor, oboli tres, & lõgi drachma vna, oboli tres, myrrhę drachmæ vndecim, oboli duo, nardi indicæ drachmæ vndecim, oboli quatuor, gallicę drachmę ſedecim, oboli duo, roſarum ſiccarum drachmæ ſex, coſti drachmæ duę, oboli tres ſemis, opobalſami drachmæ quatuor,

oboli duo, liquoris cyrenaici drachmæ tres (alij quatuor ſemis) ſtœchados drachmæ quinq;, oboli duo, trifolij radicis drachmæ quatuor, vel ſeminis drachmę tres, ſcordij floris drachmę vndecim, oboli duo, polij cretẽſis drachmę ſex, oboli duo, aſari drachmę duę, acori drachmę tres, oboli tres ſemis, dauci ſeminis tãtundem, aniſi ſeminis drachmæ duæ, cumini æthiopici totidem, rheu pontici drachmæ quinq;, oboli tres ſemis, napi buniados ſeminis drachmæ tres, vel rapæ ſatiuæ ſeminis tantundem, phu põtici drachmæ duę, mellis cocti quod ſatis eſt.

Antidotum incomparabile, me authore, ad omnes interaneos affectus efficax, vt Nicoſtratus compoſuit.

Dulcis radiculæ, malabathri folij, opobalſami, agarici, cinnamomi, ſingulorũ drachmæ tredecim, gingiberis, trifolij ſeminis, amomi, rutæ ſylueſtris ſeminis, iuniperi baccarum non maturarum ſiccarum, ſingulorum drachmę quindecim, petroſelini drachmę octo, lachrymæ papaueris totidem, caſtorei, piperis longi, hypociſtidis ſucci, cypheos, ſingulorum drachmæ duodecim, oboli duo, polij, piperis albi, ſeſelis, bdellij, ſingulorũ drachmæ quindecim, oboli tres, iunci odorati rotundi floris, coſti, ſingulorum drachmę duodecim & ſemis, dauci ſeminis, thlaſpi, ſingulorum drachmæ tredecim, ſpicæ nardi drachmæ vigintiquatuor, caſſiæ nigræ radicis drachmæ ſedecim, thuris, panacis, opopanacis, ſingulorum drachmæ duodecim, acori drachmæ quinq;, ſcordij drachmæ ſeptendecim, fœniculi, nardi gallicæ, gentianæ, roſarum floris, gummios, liquoris cyrenaici, cardamomi, guttæ ammoniaci, echij radicis, aparinæ ſucci, ſingulorum drachmæ octo, ſagapeni, hyperici, acaciæ ſucci, iris illyricæ, ſingulorũ drachmæ quatuordecim, myrrhæ ſtillatitiæ drachmæ viginti, croci drachmæ triginta, ſtyracis drachmæ vndecim, oboli duo, phu, meu, dictamni, rapi buniados ſeminis, calami aromatici, ſingulorũ drachmæ octo vel decẽ, aniſi, aſari, agarici, ſcinci, ſingulorũ drachmæ ſex, reſinæ terebinthinæ drachmæ quatuordecim, oboli quatuor, galbani drachmę quinq;, anatis fœmellę ſanguinis, hędini ſanguinis, ſingulorũ drachmæ ſeptem, piperis nigri, piperis longi, ſingulorũ drachmæ vigintiquatuor, crocomagmatis totidem, quinquefolij radicis, origani ſylueſtris, marrubij, ſtœchados, ameos, chamędryos, chamępityos, centaurij tenuis, ariſtolochiæ tenuis, ſingulorum drachmę ſex, lemnij ſigilli drachmæ triginta, anſerini ſanguinis, teſtudinis marinæ, rheu pontici, ſingulorum drachmæ ſeptem, mellis attici, quod ſufficit. Bibitur fabæ inſtar ex aqua: efficax eſt etiã ad quartanam febrem. Item valet ad letalia, vt aliud nullum antidotum.

Antidotũ Aelii Gaii, quo Cæſar ſimiliter vt Charme vſus eſt: valet ad letalia & virulẽta, & ſi in locũ ſerpẽtium incideris, euades: facit ad omnẽ oculorum fluxum, & reliquarum partium fluxũ deſiccat, faſtidia ſoluit, febres longas, & circuitu remeantes. Salutare eſt etiam in mulieribus quæ ægrè purgantur, fœtus ſine moleſtia expellit: facit etiã phthiſicis, auellanæ nucis inſtar, cum quaternis aquæ cyathis exhibitum, in viperæ morſibus cum vino.

Myrrhæ drachmæ duodecim, croci drachmæ quatuordecim, nardi drachmæ quatuordecim, iunci odorati rotũdi drachmæ duodecim, cinnamomi drachmæ duæ, amomi drachmæ duæ, (alij quatuor) galbani drachmæ vndecim, reſinæ terebinthinæ drachmæ quinq;, piperis albi drachmæ decem, & lõgi drachmæ trigintaduæ, coſti drachmæ octo, thuris drachmæ duodecim, lachrymæ papaue-

ris tãtũdẽ, ſcordij drachmę quinquaginta (in alio octo) polij drachmæ quatuor, hypociſtidis ſucci drachmæ duodecim, petroſelini drachmæ octodecim, ſeſelis drachmæ quatuordecim, dauci ſeminis drachmæ ſedecim, opobalſami drachmę duodecim, opopanacis tãtũdẽ, caſtorei drachmę octo, mellis attici ſextarij duo.

Antidotum zopyrion.

Cinnamomi drachmę tres, myrrhę ſtillatitię drachmę quinq;, nardi drachmę quinq;. datur ad nucis auellanæ magnitudinẽ, cũ ternis aquę cyathis, ad annũ.

Hæc itaq; antidota commemorata omnia Andromachus prodidit: quia verò numeris cõprehenſa, ad exactam ponderum in medicaminibus conſeruationem, memoriámque vtiliſſima ſunt, ideo etiam quę Damocrates notatu digna antidota, literis mandauit, deinceps ſubdidi, à Mithridatio auſpicatus.

ANTIDOTA A' DAMOCRATE CONSCRIPTA.

Antidotum quod dicunt Mithridatium nonnulli præclari viri efficax medicamẽtum ad quẽlibet affectum, omniáq; venena eſſe pronuntiarunt.

Arabicæ myrrhæ Troglodytidis decem
Drachmæ, croci decem, agarici rurſus decem,
Sic gingiberis decem, cinamomi ſic decem,
Nardi ſpicæ decem drachmæ, thuris decem,
Thlaſpis decem drachmæ, ſeſelis, opobalſami,
Iunci rotundi, ſtœchados, terebinthinæ,
Et galbani, coſti, piperis longi, atq; pontici
Caſtorei, hypociſtidis ſucci, & ſtyracis boni,
Opopanacis, malabathri foliorum noui,
Fac ſingulorum ex omnibus bis quattuor,
Nigræ caſiæ ſeptem, & polij denarij
Septem, piperis albi totidem, ſic ſcordij
Daucíq; cretici tantundem ſeminis:
Iam balſami fructus, & cypheos idem
Da pondus: at nonnulli hic addunt bdellium
Aequale, nardi purgatæ, atq; gummeos,
Et petroſelini ſucci, ſucci quoq; papaueris,
Et cardamomi, item fœniculi ſeminis,
Et gentianæ, & foliorum ponas roſæ,
Cuiuſq; drachmas quinq;, paululo amplius
Sit cretici dictamni æqualis portio,
Aniſi, & arij pariter tres denarij,
Acoríq;, phu, ſagapeni quoq; drachmæ pares,
Athamantici meũ, necnon acaciæ,
Scincíq; ventris, hypericíq; ſeminis,
Horum omnium æquè ſingulatim erunt duæ
Drachmæ ſemis, vini modicum, mellis itidem
Modicum, inuicem hæc omnia iſto pacto prępara.

Quoniam verò Cypheos meminit Damocrates, quod & ipſe cõficit, rectè fecit, qui id quomodo præparari debeat, infra adiecerit.

At cyphi non eſt vlla ſimplex miſtio,

Nec terra quæpiam istud fert, nec est liquor.
Aegyptij confectum quo dicam modo
Dijs propitiandis offerunt suffimine.
Vuam capis passam multo pinguissimam,
Et corticem semenq; totum huic eximis,
Carnem ipsius perlæuigatam insigniter
Bis duodecim constituunt drachmis atticis,
Terebinthinæ crematæ ponunt tottidem,
Myrrhæq; duodecim; cinamomi quattuor,
Iunci rotundi duodecim, vnam sed croci,
Et bdellij lachrymæ tres, aspalathi duas
Semis, spicæ nardi tres, casiæ tres bonæ
Puræ, rotundi iunci, necnon pinguium
Et grandium baccarum iuniperi, simul
Odori calami, fient tres denarij,
Mellis modicum, vini pauxillulum quoque.
At bdellium, vinum, myrrham, mortario
Demitte, læuiga, dum spissitudinem
Mellis liquidi accipiant, melle superaddito
Vuam comminuunt, deinde facta læuia
Hinc vniuersa sumunt, atq; orbiculos
Finguntexiguos, dijs hinc dant suffimina.
Rufus vir optimus & in arte exercitus
Illo parandum sanè prodidit modo.
Quidam carentes cinamomo tantum in vicem
Pondus locant ex cardamomi semine.
Vtuntur vt priori mistura quidem,
Verùm vlceratis, iecore, vel pulmonibus,
Aut viscere alio, nonnulli dant potui
Ex antidoto, quantum pendet denarius.

Quoniam verò aliorum quoq; antidotorũ insigniũ meminerit Democrates, satius visum mihi est illa quoq; propter eundem vsum numeris ab eo conscripta exponere. Quomodo igitur Theriacam dictam componat, priore hoc libro indicaui. Impræsentiarum subsequentia eam ordine persequar.

Aliud valde bonum, ad phthisicos diutinos
Et sanguinem educentes, & cæca febri
Pressos, & imbecilli pectore præditos,
Et quos stomachus, iecur, renes habent male,
Et omnibus, quæ rettuli prius, valet.
Delicatioribus blandum magis, at efficax
Minus. Libenter hoc Augustum prædicant
Vsum, breui consanuisse tempore
Quum affligeretur lateribus, cum pectore.
Hæc suscipit, rubentis casiæ, psyllij,
Nardi spicæ purgatæ quam dat gallia

Et cinnamomi, ad hæc croci noui capit
Denarios duodecim, opobalſami decem,
Myrrhæ arabicæ ſtactæ multo craſſiſſimæ
Bis octo, odori iunci tenuis, lemniæ
Terræ bonæ, rheu pontici, atq; ſeminis
Rutæ quam ſatius eſt ſylueſtrem ſumere,
Probiq; amomi, ſiccatæ tantum roſæ,
Et candidi piperis, & napi ſeminis,
Hoc autem erit ſylueſtris non domeſtici,
Denarios quaternos ſinglatim omnium,
Thuríſq; ternos, dictamni tres cretici
Sicci, ſed admodum recentis ſeminis
Cumini totidem thebaici: tunſa reliqua
Incerne ſubtili cribro, ſed pſyllium
Solum pilæ inditum amplius contundito,
Quantum licet. nam tenue totum reddere
Nemo poteſt. hoc ipſum pacto confice:
Stacten bonam ampliori indes mortario,
Vini falerni pinguis fundens deſuper
Parum, atq; modicè læuigato, opobalſamo
Mixto, per liquidum hoc cõmodũ eſt cũcta arida
Addens, combibere medicamen parum ſinas,
Mel feruefactum bis térve ſuperfundito,
Ac vniens antidotum condes pyxide,
Qualem ſuperius paulo tibi recenſui:
Aduerſus ſimiles affectus item dato.
Aliud nimis bonum ad quæ prædixi omnia
Planè, ſeruit ad flatus qui diutino
Infeſtant ſtomachum tempore, hoc præſtantius
Moleſta ſemper inteſtinum tormina,
Coli atque ventris, viſum adfert ſenibus acrem.
Ad viperæ morſus eſt vtiliſſimum:
His præpara miſturis id medicaminum,
Cyrenaici boni liquoris ponito
Denarium, acori, phu, caſtorij, & aſſari,
Et cardamomi ſeminis, atq; gummeos,
Succíque acaciæ, præſtantiſſimæ iridis,
Puri ſagapeni, hyperici necnon cretici,
Cunctóſq; horum binos plenè denarios,
Opobalſami denarios tres lucidi,
Huic poſtulat perſimile pondus bdellium,
Albíque piperis, petroſelini, gallicæ
Nardi ſpicæ, malabathri foliorum noui,
Aethiopici necnon cumini ſeminis,
Athamantici meũ, amomi inſuper boni,

Papaueris liquoris,gentianæ & balſami,
Cuiuſq; pones drachmas pondere quattuor,
Quini ſtyracis denarij cum obolis tribus,
Coſtiq; candidi,ſeſeleos,thlaſpeos,
Nigellæ caſiæ,ſingulorum mittito
Denarios quinq;,duos obolos inſuper,
Iunci rotundi,polij quoq; denarios
Quinos,tres obolos,dictamni tot cretici,
Aequale dictis pondus optat ſcordium,
Oblongi piperis, thuris atque lemniæ,
Myrrhæ,glycyrizæ,galbani,terebinthinæ,
Et ſanguinis ſicci anatis occiſi recèns,
Opopanacis,necnon fœniculi ſeminis
Siccarúmq; roſarum foliorum,hypociſtidis,
Daucíq; cretici purgati ſeminis,
Ad hæc aniſi ſeminis,ſcinci inſuper,
Cuiuſq; ſimplicis bis ternos ponito,
Et gingiberis perſiccati probè,croci,
Et cinnamomi octonos fac denarios,
Mellis probati pondus duplex indito
Cunctis,boníq; vini Chij,quod ſatis,
Falerni aut veteris tantundem coniungito:
At confice ipſum,vti antea prædiximus,
Parandum antidotum theriacen:dato omnibus
Queis illud affectibus offerri dixeram.
Aliud dia hæmaton Antidotum,quod ferunt
Nonnulli melius eſſe ad deleteria:
Hæc recipit,anſerini ſicci ſanguinis
Drachmas duas,marinæ tot teſtudinis,
Item tot anatis, necnon hædi ſanguinis,
Videtur autem melior anatis fœminæ,
Stactæ Arabicæ craſſiſſimæ drachmas decem,
Nardi ſpicæ pares,myrrhæ & denarios,
Et cinnamomi drachmas bis ternas boni,
Roſæ foliorum ſiccatæ bis quattuor,
Iunci rotundi,thuris,coſti vnam capit
Cuiuſq; drachmam,tres amomi,& candidi
Piperis,oblongi ſed piperis vnam ſemis,
Verùm croci bis ſex,caſiæ bis quattuor,
Quinas trifolij radicis,polij pares,
Opobalſami tres,petroſelini quattuor,
Et pinguium iuniperi baccarum,& acori,
Rheu pontici,meú'que,dictamni duas,
Hoc eſt cuiuſq; binas,phu ſimul duas
Ammoniaci ſuffiminis denarios

Duos, fœniculi tot, agarici duos ſemis,
Saxatilis rutæ ternos, dauci duos,
Aniſique, aſari, ameos, cumini ſeminis
Thebaici, totidem ſingulorum, ſeminis
Napi adde ſyluestris tres, verùm ſcordij
Quod Creta orbi præſtat, quinos denarios,
Mellis probati duplex pondus indito:
Detrita cuncta quæ prædiximus nuper,
Et merſa cocto melle, vaſis condito.

Poſt antidota hucuſq; conſcripta, Mithridation ſcripſit Damocrates, quod pauloantè ego appoſui. Eo prętermiſſo, quẽadmodũ deinceps docet, adijciam.

Quod Antidotum recentiores nominant
Charmen, diutinis prodeſt affectibus,
Ad quos nihil medicamenta alia promouent:
Myrrhæ capit meriti primi, atq; opobalſami,
Hypociſtidis ſucci, necnon thuris boni,
Opopanacis purgati, item croci boni,
Cuiuſq; iſtorum duodecim denarios,
Coſtique candidi, caſtorij pontici,
Terebinthinæ puræ, iunci teretis pares
Denarios cuiuſq; horum bis quattuor,
Vuæque amomi quattuor, polij pares,
Et cinnamomi quattuor rurſus boni,
Sed cretici dauci bis ternos ſeminis,
Parem modum receptat ſeſelis ſeminis,
Rubentis caſiæ corticis itidem octodecim,
Et petroſelini ſeminis drachmas pares,
Longi piperis vigintiquattuor noui,
(Nam quod vetuſtum, carie abſumptũ repperis.
Albi decem, purgati galbani decem,
Nardi ſpicæ ſenas bonæ & drachmas decem,
At bis viginti & quinos cretici boni
Necnon recentis ſcordij denarios,
Sed mellis aridis pondus triplum omnibus.
Hoc præparato in quem prius docui modum,
Alias facultates, ita etiam porrige.
Hoc antidotum vendebat Charmes Atticis
Drachmis mille, putans gratificari inſuper.
At Charmidis familiaris dignus fide
Hanc dictitabat ſcripturam longè optimam:
Nardi ſpicæ indicæ octo bis denarios,
Myrrhæq; probatæ, lachrymæ quoq; papaueris,
Hypociſtidis ſucci, ad hæc opobalſami,
Opopanacis puri, recentis inſuper
Et caſtorei, atq; thuris ſinglatim omnium

Pares duodecim, ſed quaternos galbani,
Terebinthinæ quinos, poliiq; quattuor.
At albi piperis binos, ſed longi vnicum
Denarium & duos obolos, croci decem
Corycij, adhæc vnũ, & iunci bis quattuor
Drachmas odori, amomi drachmas quattuor,
Duas cinamomi, ſeſelis totidem ſeminis,
Sex cretici dauci, nouenos ſeminis
Bis petroſelini, ſcordij bis quattuor
Drachmas comæ, bdelli vnguis drachmam lucidi
Mellíſque libras quinas & paulo magis:
Sic præpara ſolutis iam liquoribus,
Et melle calido reſina fuſa probè
Cribrata cuncta alijs aſperges arida,
In vnitatem ſic coactis omnibus,
Dabis rogantibus inſtar nucis ponticæ.

ALIVD.

At ſi voles tibi antidotum componere
Quod ſanguinis ſuprà infráque arcet impetum,
Hoc præparatum exactè habebis optimum,
Croci cilicij tum recentis tum boni
Drachmas bis octo, lachrymæ quoque papaueris
Thuríſque non ſecti, puræ myrrhæ, pares
Cuiuſque rurſus ſedecim denarios:
At mandragoræ radicis corticis drachmas
Bis quattuor, alterci duodecim ſeminis,
Papaueris ſex ſeminis denarios,
Ternas boni cinamomi drachmas pondere.
Sed rhus liquoris patarici vel ſyriaci
Denarios ter vigenos quinos & alteros
Bis duodecim, ſic purgatum para crocum,
Perfunde vino dulci & albo cretico
Duos ſinens vnà dies vt plurimum
Quum molle cernas, fragile, mox inditum
Mortario cochleari lęuiga, ſtacten
Thuris liquorem myrrhæ purgatæ adijce
Rhus ſuccum ſimiliter ſolum perfundito,
Et commemoratis medicamentis iungito,
At vnione facta, læuiga & cribro
Iniecta reliqua permiſcebis omnia,
Coctíque mellis temperans pauxillulum,
Rurſur teras vt vnum fiat pharmacum
Contemperatum pariter, ex mortario
In vas aut vitreum tranſfer, aut ſtanneum.
His ſubminiſtrato qui ſtomacho & gutture

Et pectore reijciunt, item ex pulmonibus,
Quod ternos obulos pendet, aut paulò amplius
Externis cyathis vini quod dilutius:
Sed qui remittunt ex vesica, aut renibus
Nonnulla, vino myrtorum, absque aqua addita
Iis temperatum propinato pharmacum.
Quos affligit coli, ieiuni, & omnium
Tenuium dolor intestinorum, atque vteri
Denarium præstabis ex medicamine.
At quos febris molestat, ex cęlesti aqua:
Qui non febricitant, diluto vino dabis
Vel myrteo, vel etiam passo cretico.
At si libet antidotum ex non pluribus,
Sed pauculis habere mixtionibus,
Hoc præparatum exactè senties bonum,
Quos stomachus imbecillis, & quos nausea
Prauúsque torquet habitus, qui non concoquunt
Statim doloribus simpliciter omnibus
Diutinis, & qui radices fixerint:
Hoc Imperatorem Tiberium prædicant
Vtentem, aliud nullo potasse tempore.
Assumit piperis nigri quinas vncias,
Crocomagmatis quinas decem, rosæ decem,
Hæc omnia cribro iniecta melle assumito.
Aliud eisdem, quibus est prædictum efficax,
Habet rosarum quaternas bis vncias,
Hæc tusa & increta optimo melle excipe
Cocto, exhibeto nucis instar ponticæ
Cum mulso, aut melicrato recenti maxime
Cocto probè & spumato, quantum continet
Nux regia, cum septenis cyathis Cramatis.

Rosacei pastilli confectio.

Hoc conuenit diligentia componere:
Rosæ virentis exactè folia capis,
Duos in vmbra vel tres plurimum dies
Refrigeras, tres ipsorum incretas libras
Mortario contundis quantum sufficit,
Iunci rotundi viginti denarios,
Myrrhæ duodecim detritę, bis quattuor
Addis croci, omnia rursus contundis simul
Fingens orbiculos prægrandes, refrigeras:
Hinc quantum oportet desumes in pharmacum.

Quomodo paretur Crocomagma.

Crocomagma si bonum nimis desideras,
Para studiose: Cilicij drachmas croci

Centum, pinguis item myrrhæ, ſiccatæ roſæ,
Cuiuſque vigenos quinos denarios,
Sed candidi amyli quinquaginta, pares
Gummeos. Amylum contunde: curioſius
Cretis, marinę expertis vini paululum
Addes odori, orbiculos fingas, frigera,
Et quum eſt neceſſe, vtere vt bono crocomagmate.

Antidotum præſagiens.

Præſagiens antidotum ſic componito:
Quo præbibito, letale ſi quis ſumpſerit
Cum cibo, vomitu reddet ipſum protinus.
At qui timent, ceu noxium iam ingeſſerint,
Hoc ſi ſuperbibant, cibum cum pharmaco
Quod ſumpſerint, reddent vomitionibus.
Qui verò nihil abſurdum aut deleterium
Cum cibis pariter ſumptis deglutiuerit,
Non nauſeabit, cibum retinebit probè.
Hoc efficax medicamen eſt doloribus
Dorſi, laterum, veſicæ, renúmq;, inſuper
Et ſanguinis copioſi cohibet impetum,
Citra moleſtiam, ex quacunque proruat
Regione corporis, etiam ex pulmonibus.
Sic præparato, Lemniæ terræ bonæ,
Quæ quò d caret ſigno aparacharactos dicitur,
Denarium vnum, atque obolos conſtitue duos,
Et pinguium iuniperi baccarum duas
Drachmas, valenter læuiga affundens boni
Olei recentis & dulcis pauxillulum.
Quos conuenit præbere, nucis ponticæ
Fac offeras ex mulſa magnitudinem.
At ſanguinis curſum magis compeſcere
Deſiderans, ex mulſo decocto exhibe.

Quæ Aſclepiades memoriæ mandauerit in quinto de interioribus affectibus, quæ Aſoni inſcribit.

Vocare igitur ſolent medici recentiores Antidota non modò quæ ad letalia medicamenta exhibent: ſed etiam ad virulentarum ferarum morſus, adeóq; affectus præſertim diuturnos, viſcus aliquod obſidentes: aut abſceſſus. Quum itaq; trifariam de ipſis Aſclepiades diſciplinã diſtinxerit: primo ſanè loco poſuit quæ febribus circuitu remeantibus cõuenire pronũtiat: necnon aliquas inunctiones quas συγχρίσματα græci dicũt (ſic enim appellat) deinceps adijciẽs. Hæc itaq; omnia alexipharmaca & alexipyreta nũcupat. Secundũ ipſorũ genus Theriaca medicamenta, rabioſorũ, ſcorpionum, item phalãgiorum, viperarúmq; morſibus accõmodata. Tertiũ verò medicamẽtorũ genus, quoniã bifariã & ipſum diuiſit: alterum ijs qui letalia biberunt idoneum: alterũ ad letaliũ medicamentorũ præcautionem propriũ appellat, non eodem ordine quo Andromachus diſciplinã

proſecutus. Ille ſiquidem, vt per initia huius commentarij à me dictum eſt, quũ interiore librorũ ipſius inſcriptione, omnia antidota præpoſuiſſet, deinde medicamenta ſubiungit quæ ad quamlibet affectionem non abſceſſuum duntaxat, aut letalia medicaméta bibuntur: verum ſi fœtum expellere oporteat, hoc quoque medicamentum antidotum nominat, item ad conuulſa, rupta, & vt vno verbo dicam ad omnes affectus interaneos, quacunq; corporis parte conſtiterint. Quæ verò ad huiuſmodi vitia bibuntur medicamina, etiam potiones appellauit Aſclepiades: in quarto Aſonis ad calcē, eas interpretatus. quare poſtrema ad finē Aſonis antidota Aſclepiades conſcripſit, quæ noxijs potionibus aſſumptis auxiliantur: aut quæ ne mali quippiam ab ijs experiatur aliquis, præſeruant. Ego verò principe loco eiuſmodi imprēſentiarum ſcribere decreui: tum quòd cum prēdictis communionem habeant: tum quòd vſum prēſtent multiplicem. Etenim ad abſceſſus cuiuſcunq; viſceris & particulæ in alto ſitæ conducunt. Item nonnulla ipſorum ad imbecillitatem, vitioſos humores, indolētiam conciliandam, & crudorũ humorum concoctionem proficiunt. Inſuper ad latentem ſenſu per ſumma corporis tota euacuationem, quemadmodum ad eas conferunt quæ ſenſibus patent, per vrinas, aluum & ſputa, quæ cum tuſſi, & pulmones, & thoracem pariter expurgant. Plurima verò ex ijs craſſos humores attenuare, incidere, & viſcoſos abſtergere ſolent, eóque obſtructionibus ſuccurrere, quæ frequenter in iecinore oboriri conſueuerunt. Fiunt etiam in alijs viſceribus & particulis, in quibus huc cōſilium dirigi debet, vt humores attenuemus, abſtergamúſq;, & vaſorum extrema reſeremus.

C.vii. *Aſclepiadis ad eos qui letalia biberunt ſcriptura, ad verbum.*

Aduerſus lacbrymam papaueris.

Papaueris itaque liquore poto, conducet aquam cum oleo calentem ſepius potui dare, vomitúmque ciere: aut calidam aquam cum mulſo exhibere, & ad vomitum irritare. conueniet etiam aluum clyſtere inanire.

Ad meconium, hoc eſt, papaueris cocti ſuccum.

Meconio poto, merum copioſius ſtatim exhibitum iuuat: aut piper cum vino: aut cardamum: aut cardamomum. conducit etiam lac aſininum bibere, aut vaccinum: & ventrem farina triticea oblinere, aut ordeacea cum vino cocta, & clyſteribus vti mitioribus.

Ad aconitum.

Qui aconitum aſſumpſerunt, rutę manipulo cum vino meraciore læuigato, potóq; adiuuantur. Item iure pinguis gallinæ.

Ad altercum.

Si altercum (quem Grēci Hyoſcyamum appellāt) nocuit, conducit lac potum: maxime tamen aſininum, vel quodlibet aliud per ſe, & cum mulſa calida.

Ad coriandrum.

Si viride Coriandrum, auxiliatur vinum meracum potum & ius gallinaceum pingue.

Ad leporem marinum.

Lepore marino aſſumpto, prodeſt lac bibere, maxime aſininũ: ſin minus, vaccinum, aut caprinum. Dari autem debent eſui etiam caules maluæ diligenter incocti: vel pulegij quantum manu comprehendi poteſt, cum paſſo triti, po=

tandum: vel cyclamini radix trita cum vino: aut picis cedriæ obolus aut semiobolus, passo subactus potui datur.

Ad toxicum.

Si toxicum potum est, vinum dulce adiuuat, oleum rosaceum, sanguis caprinus, semen napi contritum cum vino.

Ad ephemerum.

Ephemeron assumptum, iuuat succus polygonij, aut plātaginis, aut origani: aut thymi pars aliqua vino soluta.

Ad dorycnium.

Qui à dorycnio læsi sunt, lacte vaccino bibito, passo, & conchyliorum iure restituuntur.

Ad fungos.

Quibus fungi sunt assumpti, dari debent raphani crudi quamplurimi: item vinum meracum, & cineris sarmentatij lixiua: nitrum aceto dilutum: aut fæx vini combusta, tritáq; cum aqua, potui datur: aut absinthium, cum aceto: aut ruta trita, cum aceto. Benefacit etiam ruta ipsa per se manducata.

Ad ixian.

Quum ixia (quam quidam Chamæleonta vocant) ingesta est, succurrit absinthium potum cum vino, castoreo, & ruta. Proderit etiam oxymel potare, & vomitiones ciere. Conferet origanum quoq; cum vino. Cæterum vtendum est huiusmodi confectione. Rutæ drachme sex, resinæ quatuor, castorei duæ, chamæleontis cochlearia tria. Hæc contrita & calente aceto soluta propinato.

Ad buprestim.

Buprestі assumpto, opitulatur passi plurimi potus, ac deinde vomitus. Item suillarum carnium ius decoctum: lac calidum plenius edere, & ficuum decoctio potui data: aut nitri rubri drachmæ quatuor tritæ mixtęq; cum aqua, ac potæ.

Ad cantharides.

Si cantharides haustæ sunt, conducit passum cum oleo bibere. Item adipem coctam aqua percolatam, & ad vomitum cogere. prodest etiam plurimum lactis sumere, & nucleos pini plures esse: aut pineos nucleos plurimos cum mulsa tritos potu assumere: aut rutam in puluerem redactam, irinóque vnguento mixtam, bibere: aut cantharidū alas pedésq; cū melle detritos linctu assumere.

Ad psilothrum.

Psilothro hausto, prodest calentis olei potio, & vomitio excitata. Conferet etiam lac caprillum bibere, & maluæ coctæ succum cum mulsa calida, aut cum oleo: aut caricarum decoctum ex oleo: aut sesamum ex vino tritum potui dare: aut nuces iuglandes quinque cum oleo tritas: aut cineris sarmentatij decoctum propinare.

Ad argenti spumam.

Spuma argenti pota, auxiliatur piper, apium, myrrha, cum vino leuigata bibitáque.

Ad gypsum.

Gypso ingesto, dari debet potui cineris sarmentatij lixiuium, & thymus ex aqua tritus.

Ad lac quod in grumos coiit.

Lac quod in grumos coijt, cōgelatúmq; est, iuuat aceti potio. Item coagu-

li cum aqua fontana, vel silphij & sulphutis æqualis portio, læuigata ex posca, potuíque data.

Ad sanguinem taurinum.

Taurino sanguine hausto, profuerit acetum calidum propinare, & ad vomitum cogere, vel laseris obolũ: aut semiobolum: aut nitri duos obolos vino subactos potui dare: aut grossulorum semen cum aceto tritum, iam verò aluus recte subducetur: eadem farina lupini & nitro ex mulso decoctis oblinetur.

Ad hirudinem.

Hirudinem deuoratam, alij murię potu, alij niuis excutere hortantur. Asclepiades autem lauare præcipiebat, & spongiam teneram frigida imbutam faucibus demittere, vt hirudo spongiæ infixa, extraheretur, ac deinde lenticulæ succum porrigebat. Externam colli regionem refrigerantibus obducere hortabatur. At Mys Apollonius acetũ quàm acerrimum propinabat, item cum muria: ille niuis gleba calefacta solutáque vtebatur, & esculentis poculentísque aluum tempestiuè purgantibus hirudinum excernẽdarum gratia, nam has vnà cum ijs quæ per aluum eijciuntur deferri sæpe affirmat.

Ad cerusam.

Qui cerusam biberint, ijs ex vsu fuerit oleum calidum bibere, & vomitum irritare. Conferet etiam passum & calentem aquam assumere, atq; sic ad vomitũ cogere. ad hæc conduxerit lactis asinini potio, maluæ coctæ succi, & mulsæ calidæ cum oleo contusæ contemperatæ'q;: vel decoctum caricarum bibitum, cum alijs, nuces iuglandes quinq; cum oleo tritæ in potúq; datæ: aut cineris ex sarmentis lixiua. Atq; hactenus de simplicibus medicamentis dictum esto. Nunc autem de compositis agetur. sed prauum mihi videtur horum cõfectiones exponere, licet complures eas cõscribere sint aggressi. inter quos est Orpheus cognomento theologus, & Orus Mendesius recentior, & Heliodorus Atheniensis tragicus poeta. item Aratus, aliíq; nõnulli huiusmodi rerum scriptores. Hos itaq; demirari queat aliquis quòd numeris talia opera conscribere sint aggressi. Merito autem damnauerit, ob res ab ipsis traditas, nam docere magis est, & allicere eos qui nocendi proximis studio horum confectionibus manum admoliri cupiunt. Pulchrorum autem horum poëmatum authores, vulgi incursum veriti, dum hæc tradere incipiunt, lectoribus persuadere conantur, quòd nullis prauis præditi moribus, neq; huiusmodi perniciosorũ præceptores extiterint, quemadmodum & Heliodorum in Apolyticis ad Nicomachum iurantem est inuenire, his verbis:

Non mihi per sacram venerandæ Palladis artem,
Non per luciferum solem mortalibus æquum,
Non per te diui cui subsunt Iuppiter omnes,
Muneribus quisquam, nec vi, nec gratia amoris
Adduxit me alijs letalia prodere versu.
Sed palmas sacras splendentia ad æthera tendo,
Nullius atq; mali mens est sibi conscia nostra.

Ex huiusmodi dictis persuadere aggrediuntur ijs qui in eiusmodi opera incidẽt, vulgi insultum reueriti. Sed ne dicere quidem est, propterea talium pestiferorum medicaminum confectiones esse sciẽdas, vt qui velint opitulari prom-

ptè remedia queant inuenire. hoc enim est mendacium: nam qui lęsos à noxijs simplicibus iuuare cupit, vnumquodq; particulatim in accidentibus inspiciens, hic nimirum optimus salutis præses fuerit, etiam eorum qui à cōpositis offenduntur, facile singula in accidentium complexu, ac congerie præcellentia deligēs, sed reuertamur ad id quod instituimus. Quum enim comesta aut pota deleteria non constant, aquā cum oleo calidam dare conuenit, eiúsque plurimum bibere & ad vomitum incitare. Vtile fuerit etiam somnum circumcidere. quinetiam ad horum præcautionem subscriptis confectionibus vtendum est.

Quæ à letalibus medicamentis præseruent.

Apollonii Mys.

Rutæ folia viginti, nuces iuglandes duæ, salis grumus vnus, caricæ duæ, hæc ieiuno manducanda dato. noxam à letalibus prohibent.

Antidotum ad præseruationem datum.

Baccarum iuniperi denarij duo, lemnij sigilli denarij duo & oboli totidē, hæc trita exceptáq; oleo reponito. Quum vsus postulauerit nucis auellanæ instar cū hydromelitis cyathis duobus propinato. Hoc Nicomedes rex vtebatur, si quando eos, quos vocauerat, in suspicione haberet. Itaq; medicamētum quum nulla huiusmodi vis subest, in loco manet. Quum autem letale aliquod datum fuerit, nauseam mouet: & vomere compellit, quapropter deleterium exhibitum, cū antidoto excernitur.

Antidotum Codii Tusci, quo & Craterus vsus est.

Marrubij, herbæ sacrę, rutæ syluestris seminis, scordij, rhamni radicis corticis, singulorum æqualis portio: melle excipiuntur, dantúrq; ad feras quidē denarij duo cum vino: ad letalia autem ex mulso & oleo.

Aliud vt Apelles.

Dictamni drachmæ duæ, polij drachmę tres, piperis longi quatuor, rutæ syluestris sex, scordij tres, melle excepta dato, quemadmodum prædictum est. Cęterum benefacit etiam pleuriticis obolis tribus datum: mensésq; mulieribus educit, denarij pondere exhibitum.

Antidotum Mithridatis, Athanasium dictum, quasi immortale, ad letalia medicamēta, & cuiuslibet virulenti ictum: benefacit stomachicis quibus cibus acescit, sanguinem spuentibus, tussi diuturna infestatis, iecorariis, lienosis: Item vesicæ, aut vteri vitiis. hoc modo præparatur.

Piperis albi grana quadraginta, costi, meu, asari, acori, dauci cretici seminis, petroselini, nardi indicæ, lapidis nestoritis, singulorum drachmę quatuor, croci, myrrhæ, cuiusq; drachmę octo, cinnamomi, cassiæ, singulorum drachmæ duodecim, mellis attici cocti, quod satis est. datur nucis auellanę magnitudine, ex mulso temperato.

In aliis scripturis ita habet.

Spicæ nardi, piperis albi, costi, meu, asari, acori, opobalsami, dauci cretici seminis, petroselini seminis, singulorum drachmę quatuor, croci, myrrhæ, iunci rotundi floris, singulorū drachmę octo, cinnamomi, cassiæ, singulorum drachmæ duodecim, mellis quod satis est.

In aliis ad hunc modum habet.

Piperis albi grana quadraginta, costi, meu, acori, agarici, scordij, dauci cretici,

petroſelini, ſingulorum drachmæ quatuor, croci, myrrhæ, vtriuſque drachmæ octo, cinnamomi, caſſiæ, iunci rotundi floris, ſingulorum drachmæ duodecim, mellis quantum ſufficit.

Ambroſia Philippi Macedonis, ad letalia medicamẽta & cuiuſuis virulenti ictum: facit etiam internis affectibus.

Styracis, galbani, piperis albi, & lõgi, cinnamomi, ſingulorum drachmæ duę, apij ſeminis, aniſi, iunci rotũdi floris, coſti, cumini æthiopici, ſeſelis, cyphis, rheu põtici, cardamomi, amomi, nardi, myrrhę, caſſiæ, ſingulorũ drachmæ quatuor, palmularum nucleis exemptis, nucum carnis, ſingulorum drachmæ ſex, croci drachmę octo, vuæ paſſę acinis vacuę, duodecim, mellis attici quantum ſatis eſt: componito in modum ſuperiorem.

Antidotum zopyrium, valet ad letalia medicamenta, & omnis ſerpentis ictum.

De hoc huiuſmodi quippiam fertur, quòd zopyrus per epiſtolam Mithridatem adhortatur, ad antidoti probationem: trãſmittens ei hominem morti adiudicatum, vt letale huic medicamentum daret, inde antidotum offerret: aut prius antidotum exhiberet, mox letale propinaret. Idipſum hortabatur & in ſerpentibus vel etiam toxicis factitaret, quæ quum ita fierent, contigit vt homo nulli periculo fuerit implicitus. Valet autem etiam ſtomachicis, ad acidos ructus, ſanguinem ſpuẽtibus, cœliacis, tormінoſis, iecinoroſis, lienoſis, comitialibus, nephriticis: iam vteri aut veſicæ affectus perſanat, emortuos fœtus educit, ſecundáſque retentas. Cõfectio hunc in modum habet, Opobalſami drachmæ tres, nardi indicæ, myrrhæ troglodytidis, iunci rotundi floris, cinnamomi characij, coſti recentis, piperis longi, hypociſtidis, polij, piperis pyriatici, ſcordij, meu cretici, cardamomi, ſingulorum drachmæ quatuor, thuris grani, opobalſami, dictãni, ſingulorũ drachmæ ſex, petroſelini, caſſiæ rubẽtis, ſingulorũ drachmæ ſeptem, croci corycij drachmæ octo, mellis attici quod ſatis eſt. Datur nucis auellanę inſtar, ſi febris abeſt ex vino: febricitantibus, cum hydromelite.

Dia hæmaton, id eſt, ex ſanguinibus antidotum ad letalia medicamenta, & virulenti cuiuſuis ictum.

Piperis lõgi, & albi, coſti, acori, croci, phu, meu, dictãmni cretici, ammoniaci, agarici, ſingulorum denarij duo, amomi, opobalſami, rutę ſylueſtris ſeminis, cumini æthiopici, aniſi, anatis ſanguinis maſculi & fœminæ, ſicci hædini ſanguinis, anſerini ſanguinis, napi ſylueſtris ſeminis, ſingulorum denarij tres, gentianæ, trifolij, iunci rotundi floris, lachrymę thuris, roſarum ſiccarum, ſingulorum denarij quatuor, petroſelini denarij quinque, polij cretici tantundem, cinnamomi denarij ſex, ſcordij floris denarij octo, myrrhæ, nardi, vtriuſque denarij decẽ, croci duodecim, caſſiæ denarij octo. Contuſa cribratáq; diligenter melle attico decocto, ſubigito: exceptis in pyxide argentea vtitor, vt maximo medicamine.

Antidotum Mithridatis Eupatoris, quod diaſcincu dicitur, letalibus medicamentis efficax, item aduerſus omnem tabificam materiam, omnis virulenti ictum, interiorum affectus: inſuper cõceptionẽ adiuuat, menſes educit, fœtus emortuos ſecũdáſq; retẽtas ſoluit, necnõ febribus remeãtibus auxiliatur, reſolutis, tremulis, rigori neruorũ, qui opiſthotonos dicitur, coxẽdicibus, podagricis, & ad omnẽ neruorũ dolorẽ. His miſturis conſtat.

Scinci, ſagapeni, acori, phu, hyperici, acaciæ, iridis, meu, gummi, ſingulorum drachmæ duæ, roſarum ſiccarum, gentianæ, cardamomi, ſingulorum drachmæ

quatuor, papaueris seminis, oboli duo, styracis drachmæ octo, polij, cassiæ nigræ, seselis, bdellij, balsami, piperis albi, singulorum drachmæ quinque, oboli duo, hypocistidis succi, opopanacis, myrrhæ, thuris masculi, castorei, piperis lõgi, cyphis, malabathri foliorum, singulorum drachmæ sex, scordij, costi, iunci rotundi floris, galbani, resinæ terebinthinæ, singulorũ drachmæ sex, oboli duo, nardi syriacæ, opobalsami, thlaspis, dauci cretici, singulorum drachmæ sex, oboli tres, croci, cinnamomi, gingiberis, singulorum drachmæ sex, oboli duo, dulcis radiculæ succi, agarici, singulorum drachmæ septem, oboli tres. Hũc in modum componitur. Cyphi, hypocistis, sagapenũ, gummi, papauer, styrax, opopanax, in vino chio madescunt, vsquedum in totum fuerint dissoluta, per diem & noctem, reliqua contunduntur, & tenui cribro incernuntur, miscentúrque madefactis detritísque. Tota verò compositio melle attico decocto excipitur, vt habeat spissitudinem: deinde opobalsamum omnibus superinijcitur: postea excipientes vase argenteo reponimus. Vsus antidoti ad multa est, datur pro virium ratione. Nos ad medicamenti intentionem mensium retentorum & conceptionis gratia miscemus, vt sine periculo feratur, dictamni cretici drachmas quatuor, ammoniaci drachmas tres, rutæ syluestris seminis drachmas tres, cumini æthiopici drachmas sex, trifolij seminis drachmas quatuor, napi syluestris drachmas quatuor, chamædryos totidem, rheu pontici drachmas tres, liquoris cyrenaici drachmas duas. His adiectis, medicamẽti vsus multiplex efficitur: corrumpit enim fœtus quadrimestres & trimestres educit.

Mithridatis Theriaca.

Hac rex Mithridates semper vtebatur, vt se à letali veneno assereret. Quum itaque à Romanis captus esset, nec bis epoto veneno mori posset, gladio sibijpsi necem intulit. Valet ad letalia medicamenta, & omnis virus iaculantis ictum, item ad interiorum affectus. Hac vtebatur Andromachus. Confectio ipsius hunc in modum habet. Pastillorum scillinorum drachmæ quadragintaocto, pastillorum theriacorum, piperis nigri, hedychroi magmatis, lachrymæ papaueris hispani, singulorum drachmæ vigintiquatuor, rosarum siccarum, scordij, seminis napi, iridis illyricæ, agarici, cinnamomi, dulcis radiculæ succi, opobalsami, singulorum drachmæ duodecim, roris marini drachmæ octo, myrrhæ, croci, gingiberis, rheu pontici, quinquefolij radicis, nepitæ montanæ, ς✤ marrubij, petroselini, stœchados, costi, * piperis albi, & piperis lõgi, thuris oboli duo, cassiæ nigræ drachmæ quatuor, costi drachma vna, croci drachmę quatuor, piperis albi drachma vna, & longi tantundem, iris illyricæ, iunci rotundi, polij, scordij, rosarum siccarum, anatis sanguinis, singulorum drachmæ tres, mellis attici cocti quantum sufficit.

ς✤ Græcè πράσου pro πρασίου est.
* Hæc scriptura mirè est deprauata in exemplari græco.

Antidotum ex centum rebus constans, vnde hecatontamigmaton dicitur, quo vtor. Cæsari id præparaui ad omnia: peculiariter autem ad letalia.

Abrotani denarius & semis, aristolochiæ denarij viginti, acaciæ denarij quatuor, baccarum iuniperi carnis tantundem, croci denarij duo, asari denarij quatuor, anisi denarij tres, amomi denarij sex, agarici denarij tres, fructus balsami, bdellij, singulorũ denarij tres, oboli duo, balaustij denarij duo, gẽtianæ denarij quatuor, dulcis radiculæ succi tantundem, napi seminis denarij quatuor (in alio exemplari octo) terræ samiæ denarius vnus, dauci seminis denarij quatuor,

dracunculi radicis denarij tres, oboli totidem, erysimi seminis drachmæ viginti, iris illyricæ denarij duo, myrrhæ denarij septem, oboli tres, gingiberis tantundem, eryngij radicis denarij quatuor, oboli duo, thlaspis denarij viginti, cunilæ tenuis denarij sex, oboli tres, cyperi denarij sex, cicutæ seminis cocti denarius vnus, oboli tres, ameos denarij quatuor, cnici seminis denarij septem, oboli duo, costi denarij septem, oboli duo, cassiæ denarij quinque, oboli duo, centaurij succi drachmæ quatuor, oboli quinque, castorei denarij sex, calami odorati denari; duo, (secundum alios quatuor) gummi denarij duo, cardamomi denarij quatuor, cachryos denarij tres, oboli totidem, cyphis denarij sex, galbani denarij sex, oboli duo, rorismarini foliorum denarij quatuor, elelisphaci tantundem, lonchitidis herbæ seminis denarij duo, oboli tres, * libani seminis denarij tres, thuris denarij sex, oboli tres, fœniculi seminis denarij sex, lachrymæ papaueris denarij sex, minij lemnij denarius vnus, malabathri denarij decem, meu denarij sex, anatis sanguinis denarij sex, nardi syriacæ denarij sex, oboli duo, nardi gallicæ denarij octo, xylobalsami denarij tres, opopanacis tantundem, ormini seminis denarij octo, eruorum alborum totidem, panaceæ denarij sex, opobalsami denarij tres, pelecini denarij sex, polij denarij quinque, oboli duo, polygonij foliorum denarij nouem, helenij radicis denarij quinque, oboli tres, petroselini denarij sex, oboli duo, quinquefolij denarij octo, liquoris peucedani tantundem, piperis nigri denarij quinque, oboli tres, & albi denarij quatuor, oboli tres, longi denarius vnus, scinci denarij tres, resinæ terebinthinæ denarij duo, rosarum siccarum denatij sex, sagapeni denarii octo, stœchados denarij quatuor, nucleorum pini frictorum denarij sex, iunci rotundi denarij quatuor, oboli duo, vuæ passæ carnis denarij quatuor, seselis denarij quinque, oboli duo, staphylini seminis denarij quatuor, fellis taurini denarij quinque, fellis vrsini tantundem, chamæpityos denarij tres, psyllij seminis denarij quatuor, chamædryos totidē, sesami fricti denarij sex, symphyti radicis denarij duo, scordij summitatum denarius vnus, oboli quatuor, herbæ pedicularie denarij quinque, styracis denarij quinque, oboli duo, trifolij seminis denarij decem, tordili seminis denarij duo, teucrij foliorū, quod nonnulli dicunt esse chamædryn, denarius vnus, hypocistidis succi denarij duo semis, hyperici seminis denarij duo, alterci seminis denarij duo, rheu pontici denarij duo, cotyledonis radicis denarius vnus, oboli tres, vini & mellis quod satis est. Ego vinum non adijcio.

*Aliter legendum censeo.

Antidotum Aelii Galli, ad alia, & rabiosorum morsus.

Nardi syriacæ dtachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ octo, cinnamomi drachmæ duodecim, cassiæ nigræ totidem, croci drachmæ octo, costi drachmę quatuor, dauci seminis totidem, meu totidem, (secundum alios vna) petroselini drachmæ quatuor, piperis albi grana quadraginta, balsami fructus drachmæ quatuor, acori, asari, vtriusque tantundem, iunci rotundi drachmę octo, mellis cocti quod satis est. Datur esui.

Aliud antidotum Aelii Galli, ad affectus interiores efficax.

Cinnamomi drachmæ sex, croci drachmæ duæ, oboli tres, piperis albi drachmæ quatuor, oboli duo, & longi tres drachmæ, oboli totidem, opij drachmę tres, nardi drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ quatuor, oboli duo, acori dra-

chmæ tres, nardi drachmæ quatuor, ſtyracis drachma vna, oboli duo, galbani oboli quatuor, caſtorei drachmæ tres, oboli duo, coſti drachmę duæ, oboli totidem: melle conſpergito. Dantur catapotia, quibuſdam potu aſſumuntur. eſt autem antidotum concoctioni, & dolori leniendo idoneum.

Odoratum optimum Galli ad omnia faciens.

Cinnamomi vncia ſemis, caſſiæ drachma, croci drachma ſemis, amomi drachmæ quinq; malabathri drachmæ duæ, myrrhæ drachma ſemis (alij drachma vna) iunci rotundi floris drachma vna, coſti vncia ſemis, piperis drachmæ tres, mellis attici quod ſatis eſt. Ego autē cinnamomi duplū inijcio, & fit prǽſtātius.

Ambroſia Archibii ſacra, omnibus infernis faciens, qua vtor.

Aniſi drachmæ quatuor, apij ſeminis totidē, myrrhæ drachma, panacis tantundē, cinnamomi drachmæ duæ, loti amari ſeminis drachmæ duæ, caſſiæ drachmæ duæ, nardi drachmę duę, croci drachmæ duę, oboli tres, piperis tres oboli, lachrymæ papaueris drachmæ quatuor, mellis quod ſufficit. Redditur potabilis ad inteſtinorum tormina, cum myrtij heminæ quarta portione & aqua. Ad iecur cum mulſæ hemina dimidia, ad vigilias, lippitudinem, pleuritidem, cum mulſa, ad malum ſtomachum cum rhœtis vini cyathis duobus, & aquæ pari menſura.

Antidotum Antipatris, Theriaca, ad aſpidum morſus & præſumptum & poſtea datum, quo vtor.

Gentianę drachmæ quatuor, trifolij tantundem, & fructus ipſius drachmæ duæ, polij drachmæ quatuor, ariſtolochiæ tenuis drachmæ duæ, peucedani radicis tantundem, galbani drachmæ duæ, petroſelini drachmæ quatuor, rutæ ſyluaticæ drachmæ tres, pyrethri drachma, herbæ pedicularíæ tantundem, * & longi drachmæ tres, bryoniæ radicis drachmæ duæ, piperis albi tantundem, acori drachmæ tres, guttę ammoniaci drachma, oboli tres, verbaſci, idææ, chamæpityos, chamelææ, marrubij tenuis, cunylę tenuis, cumini æthiopici, lachrymę papaueris, caſtorei, fœniculi ſeminis, agarici, caſſię rubrę, iunci rotundi floris, rheu, ſingulorum drachmę duę, dauci cretici drachma, oboli tres, opopanacis tantūdem, ſagapeni drachmę duę, oboli tres, abrotani drachma, oboli tres, dictamni tantundem, ſtyracis tantundem, cinnamomi drachmę tres, nardi totidē, myrrhę drachmę quatuor, lachrymæ thuris drachma, croci drachmę octo, aniſi drachma, liquoris cyrenaici tantundem, coaguli hinnuli drachmæ tres, mel atticū additur. huius nucis auellanę magnitudo in prǽcautionem ſumitur.

*Hic aliqua videtur deſiderari.

Theriaca Aelii Galli, qua vtor egregia.

Bryonię radicis drachmę ſedecim, trifolij ſeminis, opopanacis, ſingulorum drachmę octo, ariſtolochiæ tenuis drachmæ duodecī, roriſmarini radicis, iris illyricę, gingiberis, meconij, ſingulorū drachmę octo, rutę ſyluaticę ſeminis drachmę duodecī, cumini ęthiopici drachmę ſedecī, myrrhę, caſſię, caſtorei, ſeſelis, eryngij radicis, ſrepilli, lachrymæ cyrenaicæ, ſingulorum drachmæ ſex, medicę drachmę duodecim, ſagapeni drachmæ ſex, croci drachmæ quinque, erui farinæ drachmæ vigintiquatuor, finguntur paſtilli ex aqua triobolares, dantúrque cum vino.

Theriaca alia Aelii Galli vehementer efficax.

Trifolij ſeminis drachmæ duodecim, ariſtolochiæ drachmæ ſex, hedychroi

magmatis drachmę octo, quinquefolij drachmæ quatuor, echij herbę drachmę ſex, philocrati drachmæ quinq;, ſagapeni drachmæ quatuor, polij drachmæ ſex, caſtorei drachmæ tres, croci drachmæ octo, apij ſeminis, aniſi, fœniculi, petroſelini, ſingulorum drachmæ ſex, opopanacis drachmæ quatuor, opobalſami drachmæ ſex, ſeſelis drachmæ quatuor, cumini æthiopici, aut thebani drachmæ quinque, myrrhæ, ſcordij, phu, meu, ſingulorum drachmæ ſex, aniſi cretici ſeminis drachmæ ſex, erui farinæ drachmæ octo. Vino leui ariuſio affuſo paſtilli formantur, qui obolos quatuor pendeant, datur vnus ex vino Chio marinæ experti meraco, hemina dimidia.

Theriaca ad interiores dolores, Euclidis Palatiani, quam vt ipſe Euclides aiebat præparauit ad aſpidum morſus. Item ad pleuriticos, febrim quartanam, valet vomitu ſolicitatis, inſtar nucis auellanæ, tuſſientibus, ægrè reiicientibus ex aqua, ferarum morſibus cum vino, pleuriticis ſimúlque ſanguinem educentibus, ex aquæ cyathis duobus & aceti vno cyatho.

Caſtorei drachmæ ſex, opopanacis, ſagapeni, ſeſelis, cachreos, chamædryos, chamæpityos, marrubij, ſingulorum drachmæ ſedecim, ſtyracis, bituminis iudaici, myrrhæ, ſingulorum drachmæ ſeptem, lachrymæ papaueris drachmæ octo, mellis libra. propinato commorſis à feris, ſi fieri poſſit, vomitu præmiſſo, cum fraxini copioſiore ſucco: ſin minus cum vino, drachma medicamenti vel etiam amplius: nucis magnitudo ad quartanam adhibetur.

Theriaca zenonis Laudacei, vt Menutianus acceptam tradidit.

Cardamomi purgati & fibris exuti, ſerpilli, apij ſeminis, bryonię radicis, trifolij ſeminis, aniſi, petroſelini, fœniculi radicis, & ſeminis, ameos, ariſtolochiæ tenuis, erui farinæ, opopanacis, ſingulorum æqualis portio. contuſa priuatim miſcentur, vino auſtero excipiuntur, fiúntque paſtilli triobolares, vbi ſiccata fuerint in vmbra, ternos obolos pendeant, propinetur vnus ter die cum duabus aquæ drachmis, ac ſemel nocte ſinguli paſtilli. At ſubinde & pręſertim continuè vomitu vexatis, nonnunquam quoque naribus infundito, ſi nequeant deglutire iam abalienati: ac alioquin graui ſymptomate impliciti. qui vero cum puſtulis in morſu nigreſcunt, & carnes ipſorum diffluunt præcipuè, ceu malignis vlceribus obſeſſos curato.

Antidotum ad conuulſa, rupta, ſanguinem expuentes, lienoſos, iecorarios,ilioſos, circa veſicam, ſtomachicos, cœliacos, flatibus intentos, arquaticos. Ad omnes conuenit dare magnitudinem oliuæ cum mulſo.

Cinnamomi, coſti, ſingulorum denarij ſex, nardi ſyriaci denarij viginti, croci, myrrhæ, malabathri, ſingulorum denarij octo, caſſiæ denarij duodecim, piperis albi denarij decem, thuris denarij quatuor, iunci rotundi denarij ſedecim, nardi illyricæ denarij duodecim, terræ lemniæ denarij viginti, meu, ſeſelis, ſingulorum denarij octo, apij ſeminis denarij quatuor, nucleorum pini denarij duodecim, eryſimi denarij ſex, cucumeris ſeminis frixi denarij ſex, reſinæ terebinthinæ denarij tres, petroſelini denarij quatuor, amomi denarij tres, ſcordij, polij, opobalſami, gentianæ, cumini æthiopici, ſingulorum denarij quinque, rutæ ſyluaticæ ſeminis denarij tres, aniſi, tragacanthi, ſingulorum denarij octo, phu, ſtœchados, cneori, ſingulorum denarij duo. Eryſimum per linteum in aqua coctum, vt medicamentum excipiat, omnibus in puluerem

læuigatis miſcetur. Deinde tragacanthum aqua maceratum adijcito. Datur fabæ ægyptiæ inſtar, cum duobus aquæ cyathis: ſi febris abſuerit, ex mulſo.

Antidotum Mithridation vt Xenocrates apud Nicoſtratum, ad omnia letalia, ferarum morſus, ægram concoctionem, inflationes, ſtomachicos, cœliacos, ietorarios, lienoſos, coxẽdices, nephriticos, pleuriticos, peripneumonicos.

Hypociſtidis ſucci drachmæ ſex, ſcordij drachmæ quinq;, caſtorei drachmæ quatuor, petroſelini drachmæ quinq;, ſeſelis drachma vna, thuris drachmæ ſex, polij drachmæ duæ, dauci cretici drachmæ decem, piperis albi drachma, oboli tres, oblongi drachma, coſti drachmæ quatuor, oboli tres, cinnamomi drachmæ duæ, croci drachmæ quinq;, oboli tres, caſſiæ nigræ drachmæ quatuor, nardi drachmæ octo, myrrhę drachmę octo, iunci rotũdi drachmæ quatuor, amomi drachmę duę, galbani drachmę duæ, reſinę terebinthinę drachma vna, oboli tres, guttæ papaueris drachmæ viginti. melle attico datur, quẽadmodũ reliqua.

Antidotum Tyrãnis dictum, vt Nilus Antipatri: efficax ad calculoſos, & ſuffocatu periclitantes. expellit etiam ſecundas retentas, fœtúſque. ſalutare comitialibus, podagricis, articulariis, coxendicibus, craſſas vrinas educens copioſiſſimè. Datur cyathi menſura mulſo. Etiam iis qui letalia aſſumpſerunt: in ferarum morſibus vino, & comitiali morbo: ſi febris adeſt, cum hydromelite.

Scinci drachmę octo, myrrhę drachmę vigintiocto, lẽnij minij drachmę quatuor, nardi drachmæ octo, iũci rotũdi drachmæ quatuor, cinnamomi drachmæ vigintiquatuor, dulcis radiculę drachmę vigintiocto, myrrhę drachmę viginti, eryngij drachmę vigintiquatuor, amomi drachmę duodecim, cardamomi drachmę octo, croci tantundẽ, baccarũ cedri nigrarũ drachmę duodecim, meliloti totidẽ, hyacinthini ſeminis drachmæ quatuor, piperis lõgi totidẽ, & albi grana nonagintaquinque, ſpondylij drachmæ duodecim, ſtœchados drachmæ quinque, pyrethri drachmæ ſex, maluæ ſylueſtris ſeminis drachmæ duodecim, albæ violę ſeminis drachmę tres, opobalſami drachmę ſex, coſti drachmę octo, obolus vnus, ameos drachmæ duodecim, cotyledonis radicis drachmæ quatuordecim, dauci ſeminis drachmæ duodecim, carpobalſami drachmæ quatuor, xylobalſami tantundem, caſſiæ drachmæ octo, cumini æthiopici drachmæ quatuor, ocimi ſeminis, acori, œnanthæ, ſingulorum drachmæ octo, apij ſeminis drachmæ duodecim, ſagapeni drachmæ octo, capparis radicis drachmæ quatuor, gentianæ drachmæ quatuordecim, periclymeni radicis drachmæ octo, thuris tantundem, ſtyracis drachma vna, milij ſylueſtris drachmæ vigintiquatuor, ſmyrnij radicis drachmæ quatuor, ſiſari ſeminis drachmæ octo, guttæ ammoniaci drachmæ ſedecim, ſeſelis drachmæ quatuor, cachreos tantundem, (ſecundum alios drachma vna), nardi illyricæ drachmæ quatuor, aniſi totidem, chamæpitys drachmæ quindecim, chamædryos tantundem, ſmyrnij ſeminis drachmæ octo, gingiberis drachmæ quatuordecim, centaurij tenuis drachmæ octo, ſtaphylini ſeminis, meu, ſingulorũ drachmæ octo, calami radicis drachmę quatuor, vnguẽti boni hemina, mellis attici quod ſatis eſt.

Ad febrim quartanam, vt Harpalus.

Myrrhæ drachmæ quatuor, piperis longi vel albi drachmæ duæ, meconij tantundem, caſtorei oboli tres ſemis, cardamomi drachmæ quatuor, ſagapeni drachmæ duæ: trita cum aqua in paſtillos coguntur, qui obolos duos pen-

deant. quibus morbus circuitu remeat, cum vini cyathis duobus adriani vel aminei, & aquæ fontanæ decoctæ cyathis quatuor: si febris vrget, cum hydromelite. valet etiam ad reliquas periodos. Quoniam verò Asclepiades & Damocrates ad eos qui virulento quodam animali morsi, punctíve sunt, vnà cũ prædictis medicamentis remedia asscripserunt, mihi quoq; satius visum est, impræsentiarum ordine ea apponere, ac prima sanè quæ ad Asclepiadem authorem referuntur.

Quæ Asclepiades in quinto Asonis tradiderit ad virulentorum animalium noxas.

Potio à rabiosorum morsu præseruans, admodum generosa.

Lycij indici q̄optimi obolos tres, cum aqua propinato. item herbæ sacræ exiguum implicatum diebus sat multis dato. Iam & sine aqua lycium ouo sorbili inditum, porrigitur.

Aliud.

Castorei drachma, rosacei albi cyathus datur potui, secundo die etiam intermisso, immittes absinthio decocto sale iniecto tantisper, vt quod diluitur, sit vehementius.

Antonini Coi.

Alysson herbam contusam cribratámq; reponito: quum vsus poscit, dato cochleare à rabioso morsis, cũ aquæ & hydromelitis cyathis ternis. ab vno die, præstat ad quadraginta vsque: sin minus, ad primos dies septem exhiberi. Alyssos autem herba est marrubio persimilis, asperior autem & magis spinosa est circa galbulos: florem fert ad cæruleum spectantem. Hæc legenda est sub æstu caniculæ: siccata, contundi, cribrari, seruaríq; debet, ne difflетur. tegminis cancrorum fluuiatilium in sarmentis albæ vitis combustorum tritorúmq;, radicis gentianæ, terebinthinæ, singulorum mystra duo. dato morsis statim cum vini meracioris vetusti cyathis tribus vel paulo ampliori vel pauciori. nam pro ætate & virium morsorum ratione metiri conuenit. propinato ad triduum. qui autẽ post primum aut secundum aut etiam tertium diem medicamentum sunt assumpturi, in ijs conandum est, vt quod semel die exhibetur, id triplicatum duplicatúmq; ex medicamento exhibeatur. etenim vinum sufficit. Expletis autẽ qui restant diebus, cancrorum fluuiatilium mystrum vnum dabitur: gentianæ mystra duo, ad alios dies tres, cũ tribus vini cyathis. Est autẽ sic intelligendum quod dicitur: statim commorsis dato cancrorum mystrum, gentianæ mystra duo, & vini meraci cyathos tres, quotidie ad dies sex. At si quis curationẽ procrastinauerit, si quidem secundus dies est, duplum medicamenti capere oportet, nam vinum abundè est: si tertius, triplum. Post hæc ter ad alios dies capiat, quæ consuetudo est singulis diebus assumere. Medicamentum potum, magnã securitatem conciliat, ne in aquæ metum incidant.

Cratippi viri & egregii & canum altoris.

Cancrorũ drachmæ viginti, myrrhæ drachmæ duæ, croci drachma vna semis, gentianæ drachma, piperis albi grana decem, vini quod ad excipiendum satis est. datur denarius vnus, cum vini cyathis tribus temperati.

Aliud, quo vsus est Heras Cappadox.

Scordij drachmæ duę, piperis albi drachmæ duę semis, opij drachmæ tres, liquoris cyrenaici drachmæ tres semis, cachreos drachmę quatuor, gentianę, rutę syluaticæ seminis, minij lemnij, singulorũ drachmæ quinq;, myrrhæ drachmæ

ſeptem, opobalſami drachmæ octo. Præparentur vino excipiantúrq; melle cocto. poſtea opobalſamum adijciatur. Dandum valentioribus fabæ ægyptiæ duplum, & aquæ calidæ cyathi tres.

Aliud Perigaii, vt Belchionius aiebat à Cæſare ſe accepiſſe.

Polij, liquoris cyrenaici, vtriuſque drachmas tres ſemis, cachreos, rutæ ſylueſtris ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor, gentianæ, minij lemnij, ſingulorũ drachmæ quinq;, myrrhæ drachmæ ſex vel ſeptem, opobalſami drachmæ octo, ſcordij, piperis, ſingulorum drachmæ duodecim, melle excipito.

Zenonis Laudocei ad rabioſorum morſus. eſt etiam bona theriaca.

Petroſelini ſeminis, ameos, aniſi, ſerpilli, bryoniæ radicis, fœniculi ſeminis, erui farinæ, ariſtolochiæ longæ, trifolij ſeminis, opopanacis, cardamomi fibrarum ſine medulla, ſingulorum drachmæ quatuor. Opopanax vino ſolutus in promptu habeatur: arida contuſa, & tenui cribro increta, conſperguntur & opopanaci miſcentur, inde paſtilli finguntur, ſiccantúrq; in vmbra: dato morſis à rabioſo drachmam vnam cum ternis vini meraci cyathis ad triduum. ijs autem qui iam detinentur, cum aqua frigida propinatur. medicamentum ad Dionyſium Mileſium refertur.

Claudii Appollonii medicamentum ad rabioſorum morſus idoneum. eſt etiam theriaca.

Trifolij ſeminis, fœniculi radicis, vtriuſq; drachmæ ſex, ſcyllæ foliorum ſiccorum, ariſtolochiæ longæ, ſingulorum drachmæ quinq;, ſcinci, ſerpilli ramorũ, ſingulorum drachmæ quatuor, cardamomi purgati, dulcis radiculæ, ſingulorũ drachmæ tres, ameos, rutæ radicis, ſingulorum drachmæ duæ, opopanacis, liquoris cyrenaici, ſingulorum drachma, vini falerni ſextarij tres, cancrorum marinorum combuſtorum libræ tres. In vino madeſcere ſinito, ac vbi cõbiberint, trita diligenter in procinctu habeto, arida verò tunſa & tenui cribro increta, mixtáq; cancris, in paſtillos redigito, ac ternos obolos cum vini meraci ſeſquicyatho ad dies tres propinabis. Atque de his tantũ. Porrò connectendæ ijs ſunt confectiones quæ extrinſecus imponuntur.

Menippi ad rabioſorum morſus, quo vſus eſt Pelops.

Picis brutiæ libra, opopanacis drachmæ quatuor, aceti ſextarius. Opopanax etiam diſſoluitur aceti cyathis quaternis, quod reſtat liquidum, cum pice incoquito, vbi conſumpta fuerint, opopanacem addito, cura adhibita ne efferueſcat. quum benè habuerit, emplaſtri modo ſplenia bonæ magnitudinis fingito, ac morſui imponito. oportet autem vlcus ad quadraginta dies conſeruare.

Menelai ad rabioſorum morſus remedium efficax. Item ad ægilopas, & omnis ſerpentis ictum.

Nitri rubri denarij duo, fæcis vini combuſtæ denarij ſeptem, guttæ ammoniaci tantundem, ſeui caprilli libra, polij ſeſquilibra, ceræ libræ duæ, aquæ ſextarius. Ammoniacum cum aqua terito, vt ſordium habeat ſpiſſitudinem, quod reſtat aquæ, cum nitro & fæce incoquito. Vbi conſtiterint, ea quæ liquari poſſunt indito: poſtquam diſſolueris, ab igne ſublatis, ammoniacum inijcito, ac in mortariũ defuſa, emollitáque diligenter, excipiens in vſum ducito.

Album Baphulli quod ad rabiosorum morsus extrinsecus imponitur. datur etiam catapotium ex eo nucis auellanæ instar, & deglutitur ad dies quadraginta, præsertim ab his qui malo iam victi sunt. liberat enim à periculo. Imponitur autem vulneri & die interposito soluitur. ac propterea diei interuallo soluẽdum est, ac nigrities ab vlcere per spõgiam detergenda. idq; faciundum est, vsque dum medicamen album permaneat. habet autem in hunc modum.

Ceræ ponticæ libræ duæ, spumę argenti, cerusæ singulorum libra, olei veteris sextariũ, myrrhæ, medullæ ceruinæ, vtriusq; drachmæ duæ, thuris drachma. Argenti spuma oleo coquitur, & quum mutata fuerit, cerusa inspergitur, ac cera inijcitur. Vbi tam spissum euaserit vt manus non inquinet, ab igne sublato, medulla inijcitur, myrrha, & thus. emolliens vtitor.

In aliis scripturis sic habet.

Ceræ libræ duę, cerusę, argenti spumę, singulorum libra, olei veteris sextarius, myrrhæ, thuris, medullæ ceruinæ, singulæ drachmæ * olei veteris hemina. ** Hoc superesse videtur.*

In aliis ad hunc modum.

Ceræ ponticę, libra, cerusæ, argenti spumæ, singulorum drachmæ tres, thuris, myrrhæ, medullæ ceruinę, singulorum semuncia, drachma vna, olei veteris drachmæ quatuor.

Basilice, ad rabiosorum morsus medicamen accõmodatum, quod ab aquæ metu asserit. hoc Augusta semper habebat compositum.

Salis ammoniaci, liquoris cyrenaici, vtriusq; drachmæ duæ, si cyrenaicus desideretur, syriaci duplum, coaguli leporis drachmæ quatuor, iris illyricę, castorei põtici, vtriusq; drachmę quinq; liquoris coacti aridi tantundem, si desit, humoris duplum, adipis hyænę drachmę octo, resinę terebinthinæ drachmę nouem, canis nigrę hyænę, vtriusq; drachmę vndecim, cerę ponticę drachmę tringintasex, olei veteris cyathi duo, aceti scillitici cyathi tres: arida cum aceto teruntur: quę liquefieri possunt, liquantur. Deinde contritis im mittuntur. at in vsu redditur idoneum medicamentum.

Ad scorpionum ictus vtendum est infrascriptis confectionibus. Diophantus etiam ad scorpionum morsus dicatis, in phalangiorum morsibus vsus est.

Aristolochię drachmę quatuor, piperis drachmę duæ, opij drachma, pyrethri drachmę quatuor, finguntur pastilli fabæ ęgyptiæ magnitudine, dantúrq; duo deglutiendi, & vini meraci cyathi duo.

Aliud ad scorpiones & morsu feroces beluas.

Aristolochiæ, gingiberis, vtriusque drachmę octo, nepitę, rutę syluestris seminis, singulorum tres oboli, piperis oboli duo, conspergito testudinis sanguine, & in pastillos trium obolorum cogito, datóque cum vino meraco.

Aliud.

Cumini ęthiopici sulphuris viui, piperis albi, singulorũ drachmę duę, castorei, laseris, trifolij, singulę drachmę, vino formatur & ex vino meraco offerũtur.

Ad eos qui periculose icti sunt à scorpionibus, aut phalangiis, aut quolibet serpente.

Rutę syluaticę seminis, erucę seminis, pyrethri, styracis, sulphuris viui, singulorum drachmę sex, castorei drachmę duę, sanguine testudinis fingito, ac ternos obolos ex vino meraco, aut aceti semihemina exhibeto.

Medicamentum anodinon ad scorpionum, phalangiorū omniſq; ſerpentis ictus efficax. benefacit etiam ægrè parturientibus. inſcribitur autem Calliſte, quaſi dicas, optimum.

Myrrhæ, caſtorei, ſtyracis, ſingulæ drachmæ, opij drachmæ duæ, galbani drachmæ tres, apij ſeminis acetabulū, aniſi tantūdē, piperis grana triginta. fingitur ex vino datúrq; drachma vna ex vini hemina. medicamentū eſt præſtātiſſimū.

Abaſcanti medicantis Lugduni.

Piperis albi drachmæ viginti, caſtorei, opij, croci, myrrhæ, iris illyricæ, herbæ pedicularię, chamedrys, bryonię radicis, pyrethri, ſingulorum par modus. vino formātur: drachma vna ex eis datur, cum ternis vini meraci cyathis.

Antidotum ad Scorpiones, & minimè fallax. quod ſtudio quidam in Libya habitans nobis donauit: hoc autem ille vtens omni periculo eos, qui à ſcorpionibus morſi erant, liberabat. iam ad præcautionem optimum eſt, bibitur autem ab iis qui nondum icti ſunt ad futurorum ſecuritatem.

Sulphuris ignem non experti, ſulphuris foſſitij, vtriuſq; libræ duæ, piperis albi drachmę quatuor, opopanacis, ſauinę, thuris maſculi, ſingulorum drachmæ tres, ariſtolochiæ rotundæ, peucedani, myrrhæ, centaurij, ſerpilli, chamædryos chamæpityos, ſcorpiacæ herbæ, anagallidis, bituminis, ſingulorū drachmæ duę. Scriptum autē eſt etiam romanè, herbæ nicati ceſtri drachmæ duæ, hoc eſt, betonicæ, medullæ ceruinæ, crocodili terreſtris carnis, vel ſcinci dicti, ſingulæ drachmę. vnūquodq; prædictorum contunditur, & tenuiſſimo cribro incernitur, deinde vnà miſcetur, & ne diffletur, ſeruatur. quū vſus exigit datur affectis cochleare, & vini meraci cyathi duo. præcautionis autem gratia ad annum bibant, vt qui afficientur tutò tranſeant. oportet autem initio bibentes hoc medicamētum ad præſeruationem, illo die neq; lauare neq; venerem exercere.

Zoili medicamentum, quo vſus eſt Aphroditus Carchedonius. leuat dolorem protinus: eſt etiam præſeruationi accommodatum ad annum potum.

Sulphuris viui libræ quatuor, thuris libra vna, ſabinæ, ſtœchados, ariſtolochię, ſingulorum drachmæ ſex, myrrhæ drachmæ quinq;, medullę ceruinæ, opopanacis, ſingulorum drachmæ quatuor, dictamni cretici drachmæ tres, bituminis, ſerpilli, ſcordij, rheu, trifolij, centaurij, chamædrys, piperis albi, abrotani, ceſtri, polij, coaguli hœdini, anagallidis, ſingulorum drachmæ duæ, crocodili terreſtris drachmæ decem. præparato quēadmodum dictum eſt, affectis cochleare & vini meraci cyathum propinato. benefacit etiam ad præſeruationem ſemel anno exhibitum.

Epithema ad Scorpionum ictus.

Lauri folia cum vino cocta, tritáq; imponito: vel liliorum radices tritas cum aceto applicato.

Aliud.

Ariſtolochiæ in vino coctæ & rutæ ſurculorum nitríque æqualis portio trita ex vino accommodatur.

Aliud.

Cancrorum fluuiatilium, cachreos, herbæ pediculariæ, rutæ, par modus.

Aliud.

Chamæmeli, nigellę, nitri rubri, paria pōdera, detrita ex aceto accōmodātur.

Arabæ Thebani medicamentum ad ſcorpionis ictus accommodum.

Galbani, reſinæ terebinthinæ, vtriuſq; drachmæ duæ, herbæ pediculariæ, pyre-

thri, sulphuris viui, singulæ drachmæ, myrrhæ, piperis, vtriusq; sesquidrachma, picis liquidę, quod satis est.

Ad phalangiorum morsus ochlagogi.

Spondilij seminis, nepitæ, æqualis portio vnà teritur drachmæ vnius instar, cum duobus vini cyathis, sæpius die propinatur, hoc Chariton vtens, comitia circumibat, cupiens commorsis auxiliari.

Aliud Semmiæ Medi.

Liquoris cyrenaici, dauci cretici, mentę, nardi indicæ, cuiusq; partes æquales, formantur ex aceto, datúrque denarius cum quatuor aceti cyathis. at is qui biberit in aquam calidam demittitur.

Andreæ ad phalangiorum morsus.

Herbæ pedicularię, pyrethri, myrrhæ, opij, bryonię, galbani, singulorũ ęqualis portio. formantur pastilli ex vino odoro, datúrq; drachma cũ passi hemina.

Aliud valde generosum.

Cachreos, rutæ syluaticæ seminis, piperis albi, herbæ pedicularię, myrrhæ, singulorum drachma, cyperi radicis drachmæ duæ, formãtur ex vini odorati cyathis quaternis, & mellis cyatho vno.

Ad phalangia, scorpiones, & omnis serpentis ictum, vt vsus est Diophantus.

Castorei, piperis albi, myrrhę, lachrymæ papaueris, singulorum æquale pondus: vino dissoluta, in pastillos cogito, ac tres obolos cũ tribus vini meraci cyathis propinato, vt Diophantus.

Aliud.

Mandragoræ corticis, piperis albi, castorei, lachrymæ papaueris, singulorum pares portiones. præparato exhibetóq; quemadmodum prædictum est.

Aliud ex commentariis Apollodori, quod etiam Tarantinus in opere ad Astydamantem inscribit ad omnis feræ ictum, & vehementissimos dolores, vteriq; strangulatus.

Cicutæ succi, hyoscyami, vtriusq; drachmæ quatuor, castorei, piperis albi, costi, myrrhæ, opij, singulæ drachmę. Hæc læuigata ex duobus passi cyathis, terito in sole, donec coierint, ac fingito pastillos ad fabę græcanicę magnitudinem: dato cum vini cyathis duobus.

Aliud Heraclidis Tarentini ad phalangia & omnis virulenti serpentis ictũ. idem potum auxiliatur.

Cachreos, rutæ syluaticę seminis, piperis albi, myrrhę, cocci gnidij, costi, pyrethri, herbæ pedicularię, singulorum æqualis portio, cyperi dupla. aceto dissoluta melléq; excepta imponito.

Aliud ad phalangia & omnis venenosi serpentis ictum.

Herbæ pedicularię, pyrethri, myrrhę, liquoris libyci, singulorum drachmæ quatuor, bryonię radicis, galbani, æqualis portio. aceto dissoluta, & melle excepta accõmodantur. Idem etiam potum vehementer auxiliatur.

Epithema ad phalangiorum ictus, & omnis serpentis. Idem quoque in potu auxiliatur. Hoc Simmias ochlagogus vsus est.

Sulphuris viui, galbani, vtriusq; denarij quatuor, liquoris libyci, nucum auellanarum purgatarum, singulorum drachmę duę. vino dissoluta & melle excepta imponuntur.

Aliud.

Rutę syluaticę seminis, herbæ pedicularię, erucæ seminis, cachreos, viticis se-

minis, cupreſſi galbulorum, ſingulorum acetabulum, vino ſoluta & melle excepta applicato. Idem quoq; in potu proficit. Et hęc quidem hactenus. At in viperarum morſibus, ſubiectis vtendum eſt confectionibus.

Ad viperarum morſus Dorothei Heliæ.

Dicit itaq; hũc in modum: potionibus quidem vſus ſum ſimplicibus, ex aceto dimidia hemina calefacta potáq; prodeſt. Ariſtolochię drachmę duę, corticis in vino, aut aceto hemina dimidia. Item trifolij ſeminis tres oboli in dimidio vini cyatho, panacis chironij drachmę duę in aceto, coaguli hinnuli drachma ex aceto, teſtudinis marinę exiccati ſanguinis drachmæ duę ex aceto. Inter compoſita quod ab Apollodoro compoſitum eſt, & à Soſtrato cõmendatum, ac omnibus qui ab eo acceperũt. Quod ex ſanguine teſtudinis conſtat, ita habet. Cumini ſylueſtris ſeminis acetabulum, teſtudinis marinæ ſanguinis aridi drachmæ quatuor, ſtateres duo, coaguli hinnuli: ſin minus, leporini, tres, hædini ſanguinis drachmæ quatuor. omnia mixta vinóq; optimo excepta, reponito: in vſu magnitudinem oliuæ ſumens, conterito, ex vino quãpræſtantiſſimo, cyathi dimidiũ potui dato. ſi medicamentum reuomat, rurſus oliuę dimidium ſicuti prędictum eſt exhibeto. ac rurſus ſi eijcit, tertio fabæ ęgyptiæ inſtar porrigito, quemadmodum à me dictum eſt prius.

Medicamentum Agrici à vipera morſi.

Trifolij, ſpicæ, erui inſolati, rutę ſyluaticæ ſeminis, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum drachmæ octo. vino ſoluta in paſtillos redigito, datóque denarium vnũ cum tribus vini cyathis, bis térque die.

Alia ab Eudemo numeris conſcripta, theriaca Antiochi Philometoros, cuius initium ita ſonat.

Hoc cape præſidium ad ſerpentia, quod Philometor
 Vſu præcipuum repperit Antiochus.

His miſtura conſtat.

Meu drachmas binas radicis ponito, tantum
 Germina ſerpilli ponderis accipiant,
Et panacis totidem drachmas liquor aſſerit æquè,
 Triffolij quantum drachmula fructus habet,
Oxybaphum marathri, necnon ameos, & aniſi,
 Atq; apij: ſument ſemina quæq; ſuum,
Aſt erui pones acetabula bina farinæ:
 Omnia cum Chio nectare conſocians,
Orbiculos finges, iuſto qui ſinguli in illis
 Drachmæ dimidium pondere conſtituãt,
Irrigans Chio medicamina, viperæ amarum
 Aequali virus aſſociato modo.
Hoc autem effugies horrenda phalangia potu.
 Scorpi etiam ſtimulum non vereare grauem.

At particularia hęc ſũt: Meu radicis, ſerpilli, opopanacis, ſingulorũ drachmę duę, trifolij ſeminis drachma, aniſi, fœniculi, ameos, apij ſeminis, ſingulorũ acetabulum, farinæ erui tenuiſſimæ acetabula duo, vini veteris q̃tũ ad excipiendũ ſufficit. paſtillos fingito ſiccatóq; in vmbra, & ternos obolos cũ tribus vini cyathis dato.

Heraclidis Tarentini enneapharmacum. hoc in opere ipſius de feris deſcripſit. habet autem in hunc modum.

Myrrhæ troglodytidis, opopanacis, lachrymæ papaueris, ſingulorũ drachmæ duæ, bryonię radicis drachmę quatuor, hanc alij pſilothron: alij vitem ſyluaticã: alij madon: alij chironiã: alij cercida vocant, ariſtolochiæ longæ corticis drachmę quatuor (in totum enim radicum cortices multo vtiliores ſunt, quàm medullę) pyrethri radicis drachmæ quatuor, rutæ ſylueſtris ſeminis, cumini æthiopici, trifolij ſeminis, ſingulorum acetabulum. omnia contuſa, cribratáq;, aceto excipiuntur, gummi prius macerato, vt glutinoſum aliquid habeat: paſtillíque finguntur, & in vmbra ſiccantur. in vſu, datur paſtilli dimidium: vel cum vino, vel cum aceto, folijs rutæ incoctis: ídque frequenter die fiat, vt plurimum duæ drachmæ medicamenti exiſtant: nam plus exhibitum vomitum proritat. quare nõ amplius exhibere adhortamur. vomitu autem oborto rurſus dari debet crebrò medicamentum die. quinetiam affectum nutrire conuenit, & vino temperato recreare, ac id ſubinde facere: imò etiã aqua calida fouere, & ea quæ iuuare poſſunt, ſuperfundere. Cæterùm affecti loci decubitus decliuis eſto.

Dorothei medicamentum, cuiuſlibet ſerpentis ictui accommodatum.

Radicis verbaſci fœmellæ corticis, trifolij ſeminis, ſingulæ drachmę, opopanacis, ſerpilli, meũ, coaguli hinni, ſingulorũ drachmæ duæ, apij ſeminis, ameos, fœniculi ſeminis, aniſi ſeminis, ſingulorum acetabulum, eruorum inſolatorum denarij duo, arida contuſa, cribratáq;, vino ariuſio excipiuntur, diſſoluto in eo coagulo & opopanace, paſtilli fiunt: dãtúrque pro virium ratione, ijs qui iam validè detinentur, drachma, & vini hemina: alijs autem, tres oboli. Vſus eſt etiam medicamento ad inteſtinorum vitia, & quorũ volebat affluxionem perducere. Item ad alios quoque caſus, ceu vehementer generoſo vſus eſt, in virulentis quidem, ex vino: in alijs autem, ex aqua.

Aliud Hybriſti Oxyrynchiti medicamentum, ad omnis venenati ictum vtile: inſcriptum ab Apollonio Memphite. hoc modo conficitur.

Ariſtolochiæ, panacis, viticis ſeminis, ſingulorũ drachmæ quatuor, cachryos, myrrhæ, piperis, ſeſelis maſſaleotici, nardi indicæ, caſtorei, cinnamomi nigri quàm tenuiſſimi, piperis longi, liquoris cyrenaici, iridis, rutę ſylueſtris ſeminis, ſingulorum drachmę duæ, hyperici drachma. omnia contuſa & tenuiſſimo cribro increta in paſtillos coguntur: vino marinæ experti imbuti ſiccantur in vmbra, ac datur denarius in vini meraci hemina, & aquę quatuor. Item morſui cõfractus vnus ex paſtillis vinóque ſolutus imponitur. Iam adiectis ariſtolochiæ bonæ læuigatæ drachmis duabus, & polentæ rurſus drachmis quaternis hæc læuigata, tritáque diligenter, applicato, fici folio extrinſecus coope riens, & faſciola deligans.

Antidotum Theriace ad viperæ morſus. facit etiam ad cuiuſuis ſerpentis ictum. hoc Gallus profectus ex Arabia donauit Cæſari, quum multos cõmilitonum ipſius ictos à rabioſis, ſcorpionibus, phalangiis, aliiſque ſerpentibus conſeruaſſet. habet autem hunc in modum.

Erui inſolati drachmę vigintiquinq;, bryoniæ radicis drachmæ ſedecim, rutæ ſyluaticæ ſeminis drachmæ duodecim, trifolij ſeminis, iridis carchedoniæ, opopanacis, ariſtolochiæ longę, lachrymę papaueris, gingiberis, ſingulorũ drachmæ

octo, cumini æthiopici, myrrhę, eryngij, liquoris cyrenaici, croci, ſerpilli, coſti, ſagapeni, ſingulorũ drachmę ſex. vino aminæo conſperſa, redigũtur in paſtillos, qui pro virium ratione exhibentur, plurimum tribus obolis ex vini hemina: ad reliquos autem affectus, ex mulſo.

Epithema ad viperæ morſus.

Sagapeni, piperis, liquoris cyrenaici, opo panacis, ſingulorum pars vna, galbani, ſulphuris viui, ſingulorum drachmæ duę. arida tundito & ſubtiliſſimo cribro incernito. liquores autẽ ſolutos, aridis inijcito, fiátq; emplaſtri ſpiſſitudo atque ictibus imponãtur. extrinſecus autem folia fici, vel vrticæ.

Aliud.

Cardamomi, eryngij radicis, ſulphuris viui, piperis, ſingulæ partes, myrrhæ, galbani, ſingulorum partes duæ. præparato vt eſt prædictum.

Aliud.

Centaurij, ariſtolochiæ, peucedani radicis, ſingulorum æqualia pondera. contuſa, cribrata, aceto ſuperfuſa, galbano excipito, & vtitor ſicuti prædictum eſt.

Aliud.

Cachryos, herbæ pediculariæ, bryoniæ radicis, ariſtolochiæ, ſingulorum pars vna, myrrhæ, opopanacis, ſingulorum partes duæ. aceto conſperſa excipito vt prædictum eſt. At quia numeris comprehenſa facilè in memoria habetur, & ponderis medicamentorum ſymmetriam inculpatam obtinent, ſatius mihi viſum eſt, etiam Damocratis verſus hic aſcribere. Sonant autem hunc in modum.

Nunc tradere medicinas eſt propoſitum
Quæ morſibus duntaxat medicari queant
Virus iaculantium, anguium, atq; cherſydrum,
Item ceraſtum & aſpidum, ſic ictibus
Animalium ferorum, & morſibus apium,
Et ſcorpionis, veſparum, phalangij.
Sic præparato, drachmæ illyricæ octo iridis,
Opopanacis, gingiberis, & meconij
Roris marini radicis, tum cretici
Omnis trifolij ſeminis, bis quattuor,
Ariſtolochiæ prælongæ, atq; ſeminis
Syluaticæ rutæ, vtriuſq; duodecim,
Albiſſimæ radicis ſedecim bryoniæ,
At herbulæ ſerpilli, necnon ſmyrnij,
Caſtoreiq; pontici, pares trium modi,
Eryngij verò, ad hæc apij ſeminis
Aethiopici recentis maximè inſuper,
Denarij bis terni ſingulorum erunt,
Eruiq; candidi purgati duodecim.
Hæc omnia arida & cribro increta, excipe
Vino, pilulas, vel orbiculos effingito,
Denarium propinato medicaminis.
Et heminam, non commixtam vini optimi,
Pinguis, vetuſti. Iam ſubactum aqua, facit

Drachmæ dimidio, coli aut ventris flatibus,
Et citra manifestam causam dolentibus. *Aliud.*
Medicina præstantissima, qua vidimus
In potionibus vtier, qui viperæ
Captæ recenter offensi sunt morsibus,
Hanc gentem referunt natura vix affici
A morsibus ferarum, Psyllos nuncupant.
Noui hac alios morsos venisse ad integrum.
Melyssophyllon molle vmbris refrigera,
Factum aridum contundito, hinc denarios
Bis octo, aristolochiæ teretis addito, aut
Longæ aridæ, chamædryos, myrrhæ bonæ
Troglodytidis, cuiusq; horum drachmas decem.
Hæc tunsa in gyro, tenui incerniculo cola,
Mellis mediocri mensura hæc in vnum cogito.
Dato denarij instar, aut paulo amplius,
In plenioribus aquæ cyathis decem.
Sunt qui foliorum longorum & recentium
Succum pari expressum mensura, potui
Vino bono permixtum, protinus offerant.
Mensura tota est antidoti, cyathi decem,
Aut pauciores paulò, & repleti minus:
Et folia contrita illeuerunt morsibus.

Aliud.

Ad omnium venena pharmacum efficax
Serpentium, sed viperæ potissimum.
At semper habeas coagulum recentium
Cerui hinnulorum, idémq; præcellit recens,
Hoc nanq; stomacho vetusto gratum magis,
Denarium istius, cyathis binis cape
Vini phalerni & mediocris, aquæ & temperans,
Animalium ferorum morsibus applica.
Læsis obambulare & vigilare impera.
Quòd si locus cõmorsus hoc admiserit,
Et balnea ingredi, atq; in his aliquandiu
Manere, necnon rursus paulo postea,
Quemadmodum prædixi, sumere coagulum,
Quod noxijs letalibúsve sit efficax.
Antidotus ad rabiosorum morsus canum.
Qui mentem alienantes vexant latratibus,
Metúq; cuiusuis liquoris, maximè
Potus, idq; sine ratione, vt si viderint
Vel paululum prorsus aquæ, protinus
Tremore crucientur, conuulsionibus,
Peruigilijs continuis, & delirijs

Vitam peragentes, moriuntur citissimè,
Et si repente effugerint diros metus,
Eiusmodi manent diu symptomata,
Quæ sunt oborta confestim morsis nuper.
Proinde eiusmodi vt morsu te vindices,
Omnino antidotum sacrum habeas repositum.
Nam hoc qui biberint, sicut nos percensebimus,
In nullum facilè concident incommodum.
Ipsum parato, Cancros fluuiatiles
In candidæ vitis sarmentis vrito.
Seruáq; diligenter tritum in pyxide,
Et gentianæ radicem incretam probè
Inspergito, suauis vini cyathis tribus,
At mystra cineris magna sarmẽtum duo,
Sed gentianæ læuigatæ, veluti diximus,
Mystrum vnicum, sic bibere totum præcipe,
Quo quis die est morsus, ieiuno porrigens.
Sin fortè primum prætergressus est diem,
Et simplicem duobus alijs adferens
Modum, duplum secundo addes medicamini
In vini cyathos tres mittens vt diximus
Vel in tribus si morsus fuerit grandior.
At gentianæ læuigatæ tres placet
Nonnullis obolos solum viginti dies
Offerre, in cyathis cumulatis vel amplius
Paulo. ac id vsu comperisse Niceratus
Aduersum aquæ metum, recensuit,
Ipsi atq; amicis qui norunt medicaminum
Insignium proprietates discernere.
Lycij patarici ternos obolos optimi,
Sed indici præstaret, si copia datur,
Iubebit offerre dies viginti duos
Ieiuno, aqua, sicut vobis dictum est nuper.
Narratur hæc præstare quoq; brettanicæ
Potus similiter succus, veluti lycium.
Atq; hoc apud nonnullos est miraculum,
Vrsi bilis mystra duo, binis temperans
Aquæ cyathis, ieiuno ad tres dies dato,
Ad morsus rabiosorum. sed quum plurimi
Magis laborant affectu, rabiunt canes;
Emplastrum habeto quo vtor contra morsuum
Tergendam saniem, si quid liuidum aut nigrum
Vulneribus adhæret. quo albato pluribus
Diebus emplastrum iniectum permittito,
Latius efficiendo vulnus, medicamine,

Quod ducere possit crustam. confert insuper
Ferarum reliquarum virus iaculantium
Ad ictus, itidem morsus, atq; spicula
Prauis medicamentis infecta, & omnia
Maligna corporis totius vlcera,
Terræ nigræ ampelitidis, & bitumnis,
Spumæ bonę argenti, atq; olei, denarios
Fac singulorum quinquaginta horum trium.
Verùm propoleos bis vigenos, Atticæ
Aristolochiæ quattuor, sic symphyti,
Quattuor marrubij, necnon helenei pares,
Chamæleontis quattuor, tres smyrnij,
Tot candidæ iris aridæ drachmas bonæ,
Tres omphacinæ gallæ, sex aluminis,
Poliíq; totidem, galbani obolo largius,
Thuris duodecim non secti drachmas semis,
Chalcitis autem tostæ drachmas quattuor,
Centaurij tenuis sex, mellis Attici
Denarios quinos denos mittes nouii.
Sed fac diligenter ipse præsens præpares.
Siquidem ocyus etiam valdè comburitur,
Terram ampelitidem mittens & lithargyron
In fictile nouum magnitudinis bonæ
Adiunge leue oleum, molliq; igne incoquas.
Quum sordidum videbis, tunc inspergito
Chalcitem, alumen: alia rursus ollula
Mel, galbanum, propolim, reliquáq; liquida
Liquato, modicè feruida superfundito
Lithargyro, calefaciens pauxillulum,
Quum videris manus ceu emplastro haud infici,
Tunc herbulas adde & reliquas radiculas.
Sublato ab igne confestim iam fictili:
Refrigera parum, medicamen cõmouens,
Palmis valentioribus permolliens,
Reponito, conseruans pelle conditum.
Valet sagittarum infectarum pharmaco
Vulneribus, veluti morsibus serpentium,
Item iaculantium virus animalium.
Quare medendi existit consimilis modus.
In his enim carnem oblæsam scalpro statim
Circuncidere necesse est, & cucurbitas,
Si liceat, admouere flammis vulneri,
Acribus & medicamentis ac vrentibus,
Id longiore seruans latum tempore.
Quod indicaui prius in commentario

Alio, ijs qui medicamina tradita desiderent
Efficere, quæ scalpro fiunt, vrentibus.
Sunt vtiles antidoti in potionibus
Quas viperæ applicari iussi morsibus.
Item coagulum ipsis offer hinnuli,
Et gentianæ, vt rabiosorum morsibus
Adferre oportet reliqua, sicut docuimus
In illis facere. quippe hæc istis congruunt.
Succúmq; Cyrenæum istis fac temperes:
Sin copia negetur, des etiam Medicum,
A quæ duobus cyathis oboli pondere,
At gentianæ, quantum oboli tres pendeant,
Est autem melior succus quàm radicula.

Heræ antidota Theriacæ, quæ etiam & nos experti sumus.

Theriaca qua vsus Marcus Categetes. Trifolij bituminosi seminis pars vna, aristolochiæ rotũdæ pars vna, rutæ syluestris pars vna, erui insolati pars vna: vino excipiũtur, fiũntq; pastilli drachmarũ quatuor: datur vnus ex vino & oleo.

Aliud ad eadem vehementer efficax.

Hoc cape præsidium ad serpentia, quod Philometor
Vsu præcipuũ repperit Antiochus:
Meũ drachmas binas radicis ponito, tantum
Germina serpilli ponderis accipiant,
Et panacis totidem drachmas liquor asserit æquè
Triffolij quantum drachmula fructus habet,
Oxybaphum marathri, necnon ameos, & anisi
Atq; apij: sument semina quæq; suum,
Ast erui pones acetabula bina farinæ:
Omnia cum Chio nectare consocians,
Orbiculos finges, iusto qui singuli in illis
Drachmæ dimidium pondere constituant,
Irrigans Chio medicamina, viperę amarum
Aequali virus associato modo.
Hoc autem effugies horrenda phalangia potu.
Scorpi etiam stimulum non vereare grauem.

Eadem exactè scripta ponderibus.

Meũ cretici drachmas duas, trifolij seminis drachmas duas, serpilli sicci drachmas quatuor, fœniculi totidẽ, ameos totidẽ, apij seminis drachmas quatuor, erui farinæ drachmas octo. trita excipito vino Chio, & fingito pastillos triobolares, ac dato vnum ex vino.

Aliud.

Theriaca ad scorpionũ ictus, & quæ morsu virus emittere videtur, ad rupta & conuulsiones, inflationes coli, & multa similia. hanc medicinã Gallus ex Arabia profectus, Cęsari donauit, multis ea cõmilitonibus seruatis: bryonię albę radicis drachmę octo, trifolij seminis drachmę q̃tuor, iris, chalcitidis, vtriusq; drachmæ q̃tuor, aristolochię tenuis drachmę q̃tuor, roris marini radicis drachmæ q̃tuor, lachrymę papaueris totidẽ, gĩgiberis drachmę q̃tuor, rutæ syluestris seminis dra

chmæ ſex, ſerpilli drachmæ tres, cumini æthiopici drachmæ tres, eryngij radicis drachmę tres, erui farinę albę drachmę decē, vini Chij marinæ expers quod ſatis eſt. paſtillos fingito, qui pēdēt drachmā ſinguli, & ex vini meraci hemina dato.

Aliud ad viperarum morſus.

Fraxini folijs contuſis expreſſiſque ſuccum ex vino potui dato, foliiſque cō tractis vulnus obducito.

Aliud ad phalangiorum morſus.

Vni paſtillo Trigonis miſceto, piperis grana tredecim, ſeminis phylli grana quadraginta: ex diluta vini potione calida ad triduum propinato.

Aliud idem faciens.

Ariſtolochiæ creticæ longæ drachmam, cumini Aegyptij tres obolos, rutæ ſylueſtris ſeminis drachmas ſex, liquoris cyrenaici drachmas tres ſemis, minij lemnij drachmas decem, myrrhæ drachmas ſeptē, opobalſami drachmas octo, piperis albi drachmas duas ſemis, cachryos drachmas quatuor. contuſa cribratáque melle conſpergito, & ad fabæ Aegyptiæ magnitudinem ex aqua calida propinato. quòd ſi valentiori vti velis, duplum exhibeto.

Alia poſt commemorata prima antidota theriace.

Haud noui quomodo potionibus ad coxendicum dolores duabus citra ordinem conſcriptis, poſtea rurſus antidota addiderit, zopyrion dictum: ac aliud quoddam ex varijs miſturis conſtans, omnibus (vt inquit) letalibus accommodum: ſiue antea, ſiue pòſt aſſumatur. Cæterum congruit etiam ad rabioſorum morſus, pleuriticos, & internos dolores vniuerſos, quemadmodum & ad mulierum vitia confert. Poſt hoc rurſus aliud multiplicis vſus tradidit ex centum rebus compoſitum, eximium verò (vt ait) ad letalia, & à ceruſa ſuffocatos. Deinde ſecundum hæc, illud quod lemnia terra conſtat appoſuit: de quo iam prius etiam egi, Damocratis carminibus aſſcriptis. itaq; alio quod ex centenis medicamentis conficitur prætermiſſo, ſatis mihi erit zopyrion, & poſt id ſcriptum adijcere. Præterea, eo quod ex lemnia terra cōſtat omiſſo, quod centum ſimplicia recipit. Reſpōdet enim zopyrion antidotum cum eo quod Andromachus tradidit, ad omnia efficax: ſed peculiarius ad letalia, iecinoroſos, inflationes ventris, & incipiētes aquæ ſubter cutē ſuffuſiones, pręſertim in quibus id quod inſidet largior eſt ſpiritus. Myrrhæ drachmæ quinq;, nardi ſyriacę drachmę quinq; ſemis, iūci rotūdi floris drachmę duę ſemis, caſſię drachmę q̄tuor, cinamomi drachmæ tres, piperis albi ſeſqdrachma, thuris drachma & obolus, coſti drachma, melle attico excipiūtur, fingūtúrq; nucis auellanę inſtar, dātur ex mulſo vel aq̄.

Aliud antidotū, omibus letalibus faciēs, & præſūptū & poſtea datū. valet etiā ad rabioſorū morſus, itē ad pleuriticos internóſq; dolores. accōmodatur etiā mulierū doloribus & vitiis.

Dulcis radiculæ drachmæ ſex & ſeſquiobolus, dauci cretici ſeminis tantundem, opij drachmæ quatuor, oboli duo, caſtorei drachmæ duæ, obolus vnus, piperis lōgi drachmæ ſex, oboli quatuor, coſti drachmæ ſex, oboli duo, ſpicæ nardi drachmæ ſex, ſeſquiobolus, caſſiæ nigræ drachmæ quinque, oboli duo, thuris maſculi ſeſquidrachma, ſeſelis drachmę quinq;, oboli duo, ſcordij drachmæ ſex, oboli duo ſemis, hypociſtidis ſucci drachmę ſex, acori drachmę duę, malabathri foliorū drachmę ſex, obolus vnus, ſagapeni drachmæ duæ, balſami fructus drachmę quinq;, oboli duo, myrrhę drachmę ſex, croci drachmę ſeptē, oboli duo, ſtyracis drachmę ſex, cinnamomi drachmæ ſeptē, oboli duo, gingiberis tātūdē,

piperis albi drachmæ quinq;, oboli duo, phu drachmæ quinq;, petroselini drachmæ quatuor, nardi gallicæ drachmæ quatuor, oboli duo semis, hyperici drachmę duæ, acacię succi drachmę duę, gẽtianę drachmę quatuor, iris illyricę drachmæ duæ, anisi drachmæ tres, thlaspis drachmæ sex, oboli duo semis, rosarum siccarũ drachmæ quatuor, meu drachmæ duæ, gũmi drachmę duę, cardamomi drachmæ quatuor, iunci rotũdi floris drachmæ sex, oboli duo, opopanacis drachmæ septem, opobalsami drachmæ sex semis, galbani drachmæ tres, oboli duo resinæ terebinthinæ drachmæ sex, oboli duo, agarici drachmæ septẽ semis, cyphis drachmæ sex, bdellij tãtundẽ, scinci drachmæ duæ, amomi drachmæ tres, polij drachmæ quinq;, oboli duo, dictãni drachmæ sex, rutæ syluestris seminis drachmę quatuor, sigilli lemnij drachmæ duæ semis, erysimi drachmæ quatuor. vino phalerno & attico melle excipiuntur.

Aliud antidotũ, valet ad letalia præsumptũ & postea datũ, nihilq; reliqua medicamẽta exhibita impedit. quũ verò datũ fuerit, nauseã mouet, vt totũ qđ pernitiosum est, expellatur.

Minij sigilli lemnij drachma, oboli duo, baccarum iuniperi drachmæ duæ. oleo q̃ optimo trita excipiũtur. Datur nucis auellanæ magnitudo cum mulso.

Ex commentariis Aphrodæ ad aquæ metum.

Lathyridis vncia, castorei drachmæ tres. Læuigata cum hemina rosacei dantur potui. *Catapotium eiusdem ad aquæ metum.*

Castorei sesquidrachma, lathyridum grana nouem. dato.

Aliter, authore Nicostrato.

Castorei drachmæ octo, lycij indici drachmæ quatuor, gentianæ drachmæ duæ, cancrorum combustorum sesquidrachma, melle mixta dantur.

Ad aquæ metum mirabile.

Si aqua in qua fabri ferrũ abstergunt, inscio artifice, exhibeatur, mirũ in modũ proficit. at ijs qui iam aquã extimescunt, vt bibant, poculo pãniculũ ex sella supponito & bibitur. Benefacit etiã gentiana per se, tribus cochlearijs cũ aqua.

Amaranti grammatici ad pedum dolores, quo etiam ipse vsus est.

Rheu pontici drachmæ decem, piperis albi drachmę octo, petroselini, agarici, hyperici, acori, eryngij, singulorũ drachmę sedecim, cardamomi, thlaspis, acaciæ, dulcis radiculæ succi, rosarum siccarũ, singulorũ drachmæ * octogintaquatuor, fœniculi seminis drachmæ duæ, aristolochiæ longę drachmæ duæ, & rotũdæ, oxymyrti seminis, vtriusq; drachmę tres, apij seminis drachmę tres, napi syluestris seminis drachmæ tres, gingiberis tantundẽ, gentianæ drachmæ sex, scinci drachmæ duæ, thuris drachmæ quinq;, phu põtici drachmę tres, erysimi drachmæ sex, iris illyricæ, drachmæ tredecim, cassiæ libycę, iunci rotundi floris, spicæ nardi, sij, scorpiuri, singulorum drachmæ sex, mellis quod satis est. datur nucis auellanæ magnitudo ad annum. *Aliud vt ego vtor.*

*Forte quatuordecim.

Chamædrys drachmæ octogintaquatuor, scordij drachmæ tres, petroselini tantundem, cardamomi tantundem, marrubij, gẽtianæ, vtriusq; drachmæ quatuor, centaurij drachmæ quatuor semis, aristolochiæ rotundæ tãtundem, mellis quod sufficit. datur ad nucis auellanæ magnitudinem cum aqua ad annum.

LIBRI SECVNDI ET VLTIMI DE ANTIDOTIS FINIS, Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE REMEDIIS PARATV FACILIBVS LIBER, IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

Præfatio desideratur.

De capitis dolore ex æstu.



SI ardor solis nocuit, fouere caput oleo quod oliuæ immaturæ fuderunt frigido conueniet. quòd si intendatur dolor, aceto rosaceo. Vbi rosaceum oleum desideratur, vtendum est omphacini, hoc est, immaturi quatuor partibus, sic vt aceti pars vna admisceatur, modò refrigerare mediocriter cogites. Sin minus, aceti amplius superaddetur. At si vehementer caput incaluerit, aceto polygonij succus, aut plantaginis, aut portulacæ, aut lactucæ, aut immaturæ vuæ, aut id genus cuiusdam miscebitur. Porrò cōstat, prout aliquis magis minúsq; affectus est, remedij quod parabitur, magnitudinem esse metiendam. Cæterum decumbere ipsos satius est, idq; frigidioribus in locis, quò vitis folia, rubi, pomorum, aliorúmq; similium, quę præter tempus refrigerare poterunt, importentur. Iam verò respondent huic affectiones etiam quæ ex intemperie accidunt. verùm ex calidiore & sicciore, præterea frigidiore & sicciore, magni dolores oboriuntur. minimè autem humidam intemperiem dolores comitantur: sed hæ quoq; ex causis præcedentibus ortæ, similiter iuxta affectuum cōtrarietatem persanantur.

De capitis dolore ex frigore.

At ijs qui perfrixerunt, calidiores fotus competunt. quando sanè modicum frigus dolorem pepererit, anethinum, rutaceúmq; oleum calidum abundè est. Si intensius, cucumeris syluatici radix, nonnunq̃ & euphorbij momentum inijci debet. Adhæc irino vti oleo aut aliquo eiusmodi conuenit, medicamētis quibusdam concoquentibus, greci πεπτικὰ appellant, ipsis iniectis. Ita sanè vt pauciora, aut plura pro frigoris excellentia consideres metiarísq;.

De capitis dolore ex suffitu.

Quibus exhalatio vaporum, capitis dolorem conciliat, aluus cienda est, ducendíq; ipsi in domos perspiratu tenuíq; aëre commendatas. Iam sternutamenta moliri prodest, præcipuè si febris abest, iniecto meatibus narium aut passere leuigato, aut pipere, attractóq;. Nam vaporibus euacuatis facilius caput digeritur. Cæterum fouere ipsos oleo conducit, modico aceto adfuso. Quippè immodicus vaporum ad caput impetus, repellitur: ac id quod cerebri ventriculis insidet discutietur. Non sinito dormire, præsertim interdiu.

De capitis dolore qui ex crudis cibis prouenit.

Si crudis ventriculo infixis caput nonnihil condolescat, aquæ egelidæ potu

frequenter vomitus cieri debet. Accidit autem pleriſq; ſtomachicis ex ciborum vaporatu, capitis dolor: in quibus ſi alimentum detrahatur, ſtatim leuari ſolent. At ſi ex grandi nonnunq̃ capitis dolore ſtatim obmuteſcunt, neq; cauſa cōprehenſa, caput aqua calida largiter ſuperfundere conuenit, auribus lanam oleo madentem inſerere.

De capitis dolore ex vino.

Quòd ſanè calidiora vina capitis dolorem generent, vaporibus facilè caput ipſum replentia: interim humoribus: item quòd citra vini potū ad caput promptè hi perferuntur, præcipuè quibus capita ſunt calidiore temperamento prædita, omnibus conſtare arbitror. Huc itaq; conſilium in curatione dirigi debet, vt ipſi euacuentur. Quoniam verò calidiores natura vapores ſunt, qui caput replerunt, etiam obuio ipſis remedio indigent. Itaq; oleum roſaceum, idq; inſigniter frigidum, applicari conducit. Item ſomnus & quies benefaciunt. deindè ad veſperam balneum, cibi boni ſucci, non tamen calefacientes. Eiuſmodi ſunt ptiſanæ cremor, liquores ouorum ſine garo. Item ex aqua panis, lactuca modicè refrigerans, & braſſicæ vapor. Potui dabitur aqua. verùm in quibus ob aquæ potionem ſtomachus peruertitur, malum punicum ipſis dari debet: aut pomū aut pyrum incocta. Cæterum coquere oportet ea in olla, aquam infundendo calidam: deinde ſuſpenſis in vaſe fructibus tempeſtiuis, ollam vrere: quò vapor ex aqua conſurgens poſſit incoqui. Iam verò vuæ ſtomachum corroborant. pal mulis omnibus abſtinere conſilium eſt; vt quæ proprietatem quandam habeāt, doloris in capite efficacem. At ſi ob hęc commodè poſſint obdormire, in balneum poſtridie ducēdi ſunt ipſi, & aqua egelida ſæpius in balneis ſuperfundenda. deindè vbi paululum conquieuerint, rurſus ſimiliter lauare oportet: deinde ſic nutrire vt prius dictum eſt. Quòd ſi quandoq; ex vaporibus, ſucciſq; caput tentantibus reliquiæ ſuperſint, tenuibus meatibus infarctæ, eóq; nōnihil ex dolore capitis remaneat, à roſaceo abſtinēdū. chamæmelinū verò mediocriter calidum ſuperfundendum, ac poſtea irinum, huiuſmodi affectionibus ſingulariter vtile. Horum omnium penuria, vino vtendum eſt.

De capitis dolore ex ictu, & accidentibus.

Quoniam verò propter nonnulla accidentia & ictus, capitis dolores obueniunt, commodum eſt pauca etiam aduerſus hæc ſubiungere. Conueniet igitur fomentū ex ſpōgijs, hapſus ex mollibus lanis, calida aqua imbutis. Adhæc quies & cibi ſubſtractio, inferniſq; ventris inanitio congruit. Vitatur rectè ſol, balneum, vini potio, clamor, diſtentio, & ex ijs quæ in cibo offeruntur, acria, acida, & ſalſa. Notum verò eſt, remediorum inuentionis plures pro cauſis affectus efficientibus ſcopos fore.

De capitis dolore ex contuſione.

Quinetiam contundi ſępe caput accidit, & interim cum vulnere diſpoſitionem oboriri, vt ex his curandi cōſilium variet. Contuſioni itaq; familiaria ſunt præſidia quæ leniunt: nempe calentis aquæ ſuperfuſio, faſcia oleo madens. At ſi vulneris amplitudo prohibet ipſum coaleſcere, herbam ſideritidem contritam, loco dolenti vino per ſpongiam abſterſo, deligato.

Aliud.

Reſinam frixam, vlceri illitam illigato.

Aliud.

Aloën læuigatam cum melle admixto imponito.

Aliud.

Vlmi folia viridia contusa, cōtritáque prius applicato. Iam cortex, fasciæ modo circundatus, idem præstat.

Ad capitis dolorem ex ebrietate, & ardore solis.

Quoniam verò Asclepiades tradidit remedia capite dolentibus, etiā quę appenduntur, græci περίαπτα vocant, non absurdum putaui hæc quoq; inscribere, ad dolorem capitis ex ebrietate, & solis æstu: polygonij duos ramusculos implexos capiti circundato.

Aliud.

Polygonium tritum cum summitate lactis, capiti sabbato ad vesperam inungito, superne leporis pellem accommodato: manè ea ablata sanaberis.

Aliud.

Cichorium, quod Romani intybi olus dicunt, patientis capiti inducitur.

Aliud.

Rosaceā coronā capiti imponito: nouos rosæ flores, ex recētibus decerptos.

Aliud.

Callitricho caput obuelato, quod nonnulli vocant adianthum, quidam trichomanes. Summè autem liberare dolorem scribit Archigenes verbenacā, quā sacram herbam aliqui nuncupant, si capiti circundetur, inungatúrq; ex aceto & rosaceo. Testudinis palustris, quam aliqui dicunt sanguisugam, sanguinem vertici instillato. *Ad capillos defluentes.*

Ladanum vino odoro & astringenti macerans, læuigato: cui etiam myrteū oleum adijcietur: vbi sordium spissitudo facta fuerit, illinito.

Aliud.

Nuces virides vbi in vigore esse cœperint, contusas centum, mixtásque olei * sextarijs duobus, aluminis liquidi libris duabus, & in vas nouum fictile prius madefactum inditas, ne humor iniectus exhauriatur, diligentissimè circumlinito, ac vbi in domo aëri exposita, ad quadraginta dies deposueris, deinde exceperis, oleo vtitor.

* Galenus in libro κατὰ τόπους .1. habet sextarium vnum.

Aliud.

Ladanum, absinthium, baccas iuniperi, læuigata in panniculum illigato: tingitóque in oleum, post dies quinque vtitor. Aut myrti nigræ, aut gallæ partes duæ ex oleo conferunt. Idem verò porrigines medicatur.

Aliud.

Ladanum tritum ex passo adusq; sordium spissitudinem, illinitur.

Aliud.

Anemonæ flos in puluerem detritus ex oleo illinitur. Idem etiam nigrefacit capillos. *Aliud.*

Verbenacam rectam cum radicibus siccatam, & probè detritam, oleo miscebis vt strigmenti habeat spissitudinem: ac vbi computruerit, illinito.

De porrigine quæ pityriasis dicitur.

Betæ succo caput abstergito. Item fœnugræci farina & nitro, pari modo defricato.

De *pediculis.*

Herbæ pediculariæ (quæ staphis agria dicitur) partes duæ, sandarahcæ pars vna, cum aceto & oleo capiti inducuntur.

Aliud.

Alumine scissili cum oleo vtitor.

De manantibus capitis vlceribus, quæ ἄχωρες græcè dicuntur.

Achores in capitis cute oboriuntur: nomen traxerunt ab accidenti: nam tenuibus hęc scatet foraminibus, per quę glutinosa defluit sanies. Simile ipsi malũ specie est quod à faui similitudine κηρίον à græcis, nominatur, quod magis amplis foraminibus exasperatum est, quibus humor crassitudinem mellis referens, cõtinetur. Vtriusq; origo est, ex humiditate recrementitia. accidit autem primum eis pruritus, deinde in tumorem attolluntur. Curatio si affectus magnus est, tentatur prius purgatione quæ ex scãmonia, aloe, & cucurbita syluestri paratur, æqua singulorum portione: læuigata autem excipiuntur succo brassicæ, finguntúrq; catapotia ad erui magnitudinem. Dantur septendecim vt plurimum, alijs pro corporis portione. In exiguis affectibus, sufficiunt etiam remedia loco inducta. Sunt autem hæc, Cimolia ex aceto q̃ acerrimo illita.

Aliud.

Creta ex aceto admodũ acri inducitur. similiter terra Samia & pompholyx.

Aliud.

Argenti spumæ, & chartæ combustæ fuligine vtitor ex aceto. In quibus verò exulceratio dolorem mouet, aqua ipsos calida quotidie superfũdere in qua decocta sit myrtus, rubus, sycaminus, aut asparagi radix, & illinere conuenit.

Aliud.

Salicis folijs cum aqua, aut lenticula cum melle, aut asparagi radice decocta abstergito, aut betæ succo qui farinam fœnugræci habet. Medicamenta autem conueniunt, picee cortex cum cerato, aut cadmia cum oleo, aut argenti spuma, aut cerusa. In balneo betæ succo cum cimolia extergere competit. Constat autem in mulieribus, & molli carne præditis, acetum esse vitandum. Vino autem medicamenta esse illinenda.

De arearum speciebus, alopecia & ophiasi.

Duplex vitium capitis capillos infestat, interim defectus ipsorum, interim in alienum colorem mutatio. defectus quidem in caluitijs, color autem alienus in alopecia & ophiasi noxa pilorum, maxime indecora existit. Simili modo stirpes quoque offenduntur, vt quæ nonnunquam humoris nutrientis inopia marcescentes pereunt, aliquando alienis contrarijsque humoribus naturalem dispositionem immutant. Est autẽ alopecia & ophiasis vtraq; sanè affectio præter naturam, ex eadem causa originem trahens, communíq; remedio curatur: nominibus diuersis iuxta figuræ rationem nominatur. nam in ophiasi pars capitis oblęsa, serpentis modo, glabra apparet, Alopecia verò dicta est (vt inquiũt) quòd affectus hic, nempe pilorum nudatio, vulpeculis frequenter accidat, & locus affectus cruoris expers apparet. At nos, cur sic appellata sit non magnopere curamus. Quum autem prauam humorum copiam mali originem esse naturali ratione deprehenderimus, deinceps ad curationem diuertemur. Porrò plures iuxta colores habentur ipsius differentiæ: aliæ enim albiores, aliæ pallidiores, aliæ

nigriores existunt. Constat autem omnes eiusmodi, vitiosorum humorum esse soboles. Itaque albiores ex vitioso pituitæ succo nascuntur, curátúrque medicamentis eam purgantibus & apophlegmatismis. Pallidiores, eiusmodi bilem ducentibus abiguntur. Nigriores ijs tolluntur præsidijs quæ melancholicum humorem purgant. conuenit enim priusquam particulæ affectæ remedia inducas, totum prius expurgari corpus, ne amplius prauus ex eo humor affecto loco influat; atque deinde sic dolentem particulam aggredi. Porrò quæ pituitam per os educunt, hæc sunt: pyrethrum & staphis agria: vel alterum ipsorum, vel ambo cũ mastiche emollita. Item sal cum pulegio, aut sinapi tritum cum oxymelite, & retentum in ore diutius & gargarizatum. Propriè igitur singula medicamenta purgantia trahunt, purgántque humorem sibi familiarem: alia pituitam: alia bilem flauam: alia atram bilem. Longum fuerit vnumquodque speciatim recensere quæ ad aliud opus pertinent, communiter autem & in alopecijs & ophiasi iuuare solent: primum ex aloe catapotia, quæ hæc recipiunt. Cucurbitæ syluestris partem vnam, aloes & scāmoniæ partes duas, succi absinthij partem vnam: succo pomorum excipito. dato pro virium ratione. Interpositis deinde diebus ferè septem vtendum est hiera dya colocynthidos. Est autem ipsius compositio hæc. Per initia eiusmodi curandi modus subinde solus ad sanitatem sufficit, nam in diuturnis affectus iam contumax euadit & topicis remedijs indiget, quæ omnia genere calefaciunt, discutiúntque. Hac siquidem facultate etiam prauum humorem euacuantia, solent digerere. sunt autem hæc, Tapsiæ succus cum cerato illitus.

Aliud.

Euphorbium leue cum oleo inunctum, sulphur viuum, & nitrum alexandrinum aceto præparata inducuntur.

Aliud.

Oleum laurinum inunctum bene facit, cardami semen cum oleo.

Aliud.

Erucæ semen læuigatum cum adipe ouillo illinitur.

Aliud.

Alcyonium asperum vstum, tritúmq; aceto vel cedrino liquore applicatur.

Aliud.

Arundinis radice, aut cortice combusto cum liquore cedrino, aut pice liquida vtitor.

Aliud.

Murium stercus læuigatum aceto delinitur.

Aliud.

Amygdalæ integræ vstæ aceto acri macerentur.

Aliud.

Erinacij terrestris pellem cũ capite cōburito, & melle leuigatum admoueto.

Aliud.

Cepa veteri frequenter locum confricato, sic, vt linteo prius exterseris vsque dum rubescat.

Aliud.

Radiculæ corticem ex melle illinito.

Aliud.

Ferri ſtomomatis ſquamam oxelæo tritã inungito quouſq; locus rubeat.

Aliud.

Ordei cremati & muſcerdæ parem modum ex aceto illinito. Cęterum quum omnia prædicta remedia, partim ſint calidiſſima, partim imbecilliori calore prędita, conſtat validis quidem medicamẽtis in duris corporibus & inueteratis affectibus eſſe vtendum: inualidioribus autem, in vitijs recentibus, pueris, mulieribus, & molliuſculis. talis autem ratio in omnibus remedijs eſto communis. Cæterum partem affectam prius linteo infricare oportet: neque nimis duriter, vt corpora excoriẽtur: neq; nimis molliter, vt modicè ante medicamẽtorum vſum rubeſcat. Iam nouacula ipſum continue radere conuenit. Si autẽ pars à medicamẽtis quandoq; fuerit exulcerata adipe ſuillo aut roſaceo inuncto mederi oportet.

De aurium dolore.

Aurium dolores ex frigore vẽtorum frigidorum, aut balneo frigido & aquis medicamentoſis influxis oriũtur: aut propter inflammationem, nunc ipſius ſolum meatui adhęrentis pelliculæ, nunc ob auditoriam in alto partem inflammatam, diſtendentémq; particulas. nonnunquam ex ſpiritu flatulento, qui tranſitum non habeat, dolor concitatur. affligunt autem & ſanies in ipſis auribus ex occaſione quadam generatæ. Qui igitur ex ſola frigiditate proueniunt dolores, calefacientibus curantur. Quæ præcipua ſunt iſta. Cepa oleo feruefacta auribus inſtillatur.

Aliud.

Piper admodum lęuigatum cum oleo.

Aliud.

Nardus infuſa calida proficit.

Aliud.

Ruta incocta oleo confert.

Ad aurium noxas ex aquis acceptas.

Oleum infundens continue calidum, lana molli abſtergito: deinde rurſus infundito.

Aliud.

Oui liquor candidus quo etiam ad lippitudines vtimur, vel lac muliebre egelidum, vtile eſt.

Aliud.

Adeps anſerinus aut vulpinus, aut gallinaceus conducit.

Ad aurium inflammationes.

Nardus cũ baſilico infuſa opitulatur. Si verò dolor fuerit intolerabilis, caſtoreum cum lacte muliebri prodeſt: aut albumine oui tepefacto vtitor.

Aliud.

Opij momentum cum ſapa confert. nõ autem oportet meatui faceſſere negotium eo tempore, ſed etiam ſpecillo lana molli circundato extergere. fouere autem ſpongijs delicatis ex aqua cui althæa (quam etiam dendromalachen vocant) ſit incocta: aut furfure tenui. At ſi flatulentum ſit quod receptum eſt, & obſtructio magis quàm dolor vrgeat, aphronitro cum aceto vtitor, vel dracunculi herbæ ſucco, aut centaurij, aut polij.

De igneo aurium sensu.

Si per initia igneus sensus auditorium meatum citra pulsatilem dolorem affligat, acetum cum rosaceo opitulari consueuit.

De aurium vlceribus.

Glaucium ex aceto tritum infundito: si humor copiosus citra dolorem efferatur, recremento ferri quod diligenter in sole aceto læuigaueris, vtitor.

De graui auditu, & sonitu aurium.

In sonitu repentino acetum cum nardino instillatur.

Aliud.

Cuminum, oleúmq; ad mellis spissitudinem subactum, infundito. At in sonitu qui ex morbo prouenit, absinthij decocto fotis auribus, acetū rosaceúmque demittito, aut raphani succum cum rosaceo, aut veratrum cum aceto, aut acetū acre per se tepidū instillato, aut mel priuatim, aut oxymel aut oxelæum.

Aliud.

Porri succum cum lacte muliebri aut rosaceo infundes.

Aliud.

Amygdalarum amararum oleum, mixtum oleo cortici cepæ immittitur, & tepefactum instillatur.

Aliud.

Cepa, allium, adeps anserinus æquali portione trita percolatáq; infundūtur.

Aliud.

Lenticulæ decoctum cum melle infunditur.

Aliud.

Myrtum vino decoctum indito, aut oleæ foliorum succum expressum mellique mixtum vnà incoquito, eóque vtitor.

Aliud.

Cepæ succo expresso cum melle vtitor.

Ad grauem auditum.

Inter initia vtitor medicamento quod pituitam per os educit (apophlegmatismum appellant) ex pyrethro & mastiche. Item ventrem subducito, catapotijs dya colocynthidos. Cæterum fotu ex arundine vtitor. Item absinthio ex aqua cocto. post fotum autem colluito aceto albo & aqua, æqualibus: nitro læui simul iniecto. *Aliud.*

Lauri folijs aut baccis similiter coctis vtitor.

Infusiones aurium.

Porri succus & irinum vnguentum mixta instillantur.

Aliud.

Fel bouillum aut caprillum cum rosaceo temperatum indito.

Aliud.

Corticis raphani succum cum rosaceo læuigatum demittito.

Ad aurium vermes.

In quibus vermes habentur, bouillæ carnis tostæ saniem instillato, aut aristolochiam in puluerem redactam applicato, aut nepitā indito, aut rubi succum.

De parotidibus.

Parotides quæ ex morbis obueniunt, ab inflammationibus aliter nascenti-

bus euariant, eóque diuerſam curationem requirunt, nam in ijs quæ defluxus impetu gignuntur, ſi non copioſum ſit quod influit neque malignum, neque toto corpore humoribus æqualiter repleto, ſpongia ſola ex poſca impoſita inflammationes incipientes reprimit. In parotidibus autem; totum econtrario efficimus, medicaminibus extrahendi facultate præditis vtentes, cucurbitulámq; agglutinantes, nam humorem infeſtantem ex alto in cutem attrahere cogitamus. Quum verò id quod influit vehementem ex ſe impetum habuerit, nullum tunc nos negotium naturæ faceſſemus. nam ſi in hoc, vel cucurbitulam, vel medicamentum humores ex alto in ſuperficiem eliciens admoueamus, dolor grauis hominem inuadit, vt vigilijs torqueatur, & vires conuellantur Itaque lenite tunc magis quàm promouere humorum curſus conuenit, cataplaſmatis vtentes mitiſſimis, cuiuſmodi ſunt hæc. Ad parotides dolorificas panem cum oleo inducito. *Aliud.*

Farina triticea ex oleo accommodatur.

Aliud.

Farina ordeacea cum axungia applicatur.

Aliud.

Hyoſcyamum herbam cum butyro admouebis. ꝙ ſi ad ſuppurationẽ ſpectent, ſectione pus eximendum eſt, & medendum vlceri communiter, aut tentandum id digerere medicamentis quæ attrahendi ſimul & extenuãdi vim obtinent: ſic vt bis quotidie ea auferantur. Item fouebimus quouſque dolores remittant. At pacato dolore diſcutientia hæc cõpetunt. plantaginẽ lęuẽ cum ſale admoueto, aut lapathi radicem coctam in vino, item cimoliam ex aceto, aut ficum in muria coctum, impoſitúmque lęuem, aut porrum cum ſale: aut ſal leuigatus cum butyro lanæ ſuccidæ impoſito, maxime ad incipientes parotidas valet, præſertim in molli carne præditis. Quæ verò doloris expertes & in ſcirrhũ induratæ, ſtercore caprillo cum aceto illito iuuantur. Quas verò ad ſuppurationem celeriter ducere cogitamus, aqua calida continuè ſuperfundemus, & ordeacea farina obducemus.

De narium affectibus, ozæna & polypo.

Ad ozęnam polypúmque in naribus curandum ſiccare primùm & corroborare caput oportet medicaméto ex ſalicibus impoſito, aut Anemonite aut Barbaro aut ex cochleis confecto, quod hæc recipit. Myrrhę vnciam vnam, thuris tantundem, cochleas integras, ouorum albumina duo. in mortario contuſa mixtáq; omnia illinito linteo impoſita ad dies nouem, etiam ſic locis inducito. Sunt autem hæc: Nepitæ ſuccum infundito, aut ipſam nepitam ſiccatam per calamum inſpirato.

Aliud.

Ranunculæ ſuccum cũ melle in narẽ reſupinam inſtillato iubetóq; attrahere.

Aliud.

Mali granati ſuccũ in vaſe ęreo coctũ ſine incraſſeſcere, deĩde naribus infũde.

Aliud.

Gallam & myrrham pari portione tuſa inſpirato.

De polypo.

Atramenti ſutorij combuſti librę quatuor, minij vncia. trita per calamum in-

ſpirato: item bryoniæ radicem crematam inſpirato.

Aliud.

Atramenti ſutorij, & ſandarachæ æquales partes inſpirato.

Aliud.

Cornu ceruini combuſti, & ſandarachæ parem modum indito.

Aliud.

Plumbum crematum, vinóque exceptum illinitur.

Aliud.

Mali punici acidi ſuccum in æreo vaſe incoquito vt mellis habeat craſſitudinem, & illinito.

Aliud.

Auripigmentum tritum, ſpecillo attingito.

Aliud.

Auripigmentum & calcem viuam ęquali portione trita admoueto.

De ſanguinis eruptione ex naribus.

Grumos prius ſpecillo lanam aqua madidam habēte ab orificio nariū expurgato, deinde lycium ſolutum aqua conſpergito, & linamento tortili ex linteo facto, tinctóque in lycium obturato.

Aliud.

Linamentum tortile combuſtum, ſucco polygonij extinguito, aut * porri, naribus demittito. *Forte marubii.*

Aliud.

Aceto acerrimo ferue facto ſpongia madenti nares obſtruito. vt autem facile ſpongiam quum voles poſſis retrahere, lino deligabis, vt ex naribus pendeat. Cæterum frontem ſpongijs refrigerato, & ſublime habere caput iubeto, manus & pedes vinculis intercipito, & aures obſtruito.

Aliud.

Gypſo aut luto fictili frontem obducito.

Aliud.

Cucurbitam grandem ſi ex dextra nari ſanguis feratur, iecori admoueto: ſin ex ſiniſtra, lieni: ſi ex vtraq; parte, ambobus defigito.

De oculis.

Omnes corporis particulæ exactiſſime in curando diſtinctionem requirūt, ſi verè ſanari debeant. Oculi vero quoniam principaliſſimum vſum habent, & nō parum ab alijs differunt, accuratiſſimam poſtulant inſpectionem, dum crebris conflictantur affectibus, qui ob varias, diuerſáſque cauſas conſtituuntur, intenduntúrque. At abſolutiſſimus exactiſſimúſq; de ipſis ſermo ad aliud opus pertinet. Præſens huic commentario dicatus quid vſui ſit, quatenus fieri poteſt ediſſerit. Oculorum itaq; vitia nunc cum ardore feruido, nunc cum frigore & ſtupido ſenſu: aliàs cum inflammatione, aliàs citra illam oriuntur, interim cum largo defluxu, interim ſine illo: aliquando cum grauitate & dolore, aliquando etiam ſine his obueniunt. proinde exiguas igneáſque oculorum turbationes abundè poſca poteſt repellere, quemadmodum quæ frigori feruntur acceptæ, fotus per ſpongias vino temperato albo madentes adhibiti. validas aute diſpoſitiones, & cū inflāmatione magna & grauitate infeſtantes, ſi quidē vaſa

in fronte repleta diſtentáque fuerint, ac indidem ſanguinis copia appareat, venæ ſectio per initia ſi nihil prohibet, abigit. Quæ verò aliter gignuntur & propter obſtructionem excandeſcunt, intenduntúrq;, iis per aluum purgatio medicatur. Porrò vtendum eſt medicamentis quæ infunduntur, fœnugræci ſucco optimè præparato bene erit, ſi idem aqua dulci lauetur, coquatúrque modicè, vt omnem ipſius acrimoniã deponat: deinde rurſus alia aqua incoquatur, priore effuſa. Vtile fuerit etiam oui candidus tenuíſque liquor continuè infuſus. Itẽ lac muliebre ex mammis ipſis expreſſum in oculos benè facit. Sit autem lac boni ſucci. Cæterum lenibus cataplaſmatis mitigare inflammationes ex oui tenuis luteo, meliloto, pane & roſaceo. At ſi collyriorum idoneorum facultas eſt, quæ longo vſu propè omnibus ſunt cognita, quia alij alijs vti conſueuerint, etiã hæc cum tenuiſſimo ouo vſurpare cõducit: idque leuiter & ſine compreſſu, lemáſque oculis innatantes ſpongia ſimplici ex aqua calida detergere, & tenuiſſima victus ratione vti. Quòd ſi immodica capitis grauitas vrgeat, etiam cucurbitulam occipitio cum ſcarificatu defigere, ſic vt multum ſanguinis auferatur. At ſi vapores caput repleuerint, & pituita meatuum tranſitus obſtruat, medicamentis quæ ſternutamenta prouocant, mitioribus, & apophlegmatiſmis vacuabimus, & cõſtrictionem diſſoluemus: ad ſternutamentum ſanè ciendum pipere vtentes, iubebimus affectos id naribus attrahere: apophlegmatiſmis autem qui ex ſinapi conſtant, quod probè diſſoluatur, acetíque tenuis modicum, mellis & aquæ excipiat, quò humidum factum facilè cõtineat, ac gargarizet. vbi iam nares ipſe abunde fuerint purgatæ, humores capiti infarctos, diſſoluere ratio eſt. Verùm quod principatus & veluti ſumma curationis, non in lippientibus ſolũ, ſed in omnibus ferè alijs affectibus etiam, in accurato victu potiſſimum conſiſtit, neminem latere opinor. Vtimur autem ad æſtiuas lippitudines roſarum quoq; ſiccarum decocto, continuè palpebras eo per ſpongiam abſtergentes.

Ad vetuſtas lippitudines.

Specillo ſcalpri in allium demiſſo vt ſucco inficiatur, palpebras illinimus.

Aliud.

Triticum ignito ferro toſtum cum vino, palpebris oblinimus.

Aliud.

Atramentum ſutorium læuigatum in melle fronti & palpebris obducimus.

Archigenis collectanea medicaminum compoſitorum, ad defluxus in oculos decumbentes.

In defluxionibus ad oculos initio quidem conuenit modicus cibus, aquæ potus, & multo magis veneris abſtinentia. aluus ſubduci debet, frons largiore aqua frigida primùm, deinde modico etiam aceto mixto continuè collui. Nonnulli atramentum ſutorium aqua irrigantes ad colluendum exhibent. vitari debet odores acres, puluis, fumus, ſplendor ſolis & lucernæ. Noctu lanæ puræ ex vino, aut ſordidæ ex aqua frigida imponentur. manè (vt dictum eſt) colluentur oculi: quòd ſi fluxio intendatur, & dolor ſuperueniat, ſanguinis dimiſſio conuenit, & cibi in totum abſtinentia, ſitíſque. Fronti vitis folia viridia continenter impoſita opitulantur, aut rubi ſuccus, aut braſſicæ, aut vitis folia, cũ tenui polenta, aut ſampſuchi, aut ſemperuiui, aut portulacæ, aut cotoneorũ. Cæterum mollia ſingula cum vino & tenui polenta fronti applicata proficiunt:

ipsis autem oculis pura lana candido oui liquore madens. Item oui luteum ex vino coctum & tenui polenta fronti illitum: vel etiam ipsa imposita oculis auxiliantur. Iam caseus mollis recens cum apij folijs illitus, panis ex vino, aut rosaceo maceratus mirificè iuuant. In summa omne astringentiũ genus repellẽtiúmq; proficit per initia, cuiusmodi est cicuta, psyllium, apium, solanum, & lenticulæ palustres, serpillum, sampsuchum, folia vitis, coriandrum, portulaca, lenticula aquatilis.

Ad calidos defluxus.

Brassica trita cum tenui polentæ polline, ex aqua illita, aut ocimi folia similiter conducunt, aut sampsuchi folia læuigata illinito. At grandem defluxum sistit papaueris caput, & altercum, cum polenta tenui ex vino, sed prius foueto oculos, & deinde sic illinito. quòd si duarum palpebrarum fuerit distentio, linteum butyro madidum oculis imponito. In quibus autem valida chymosis obuenerit (vocatur autem chymosis rubra carnosáque inflammatio, membranam à cornus similitudine ceratoidem dictam infestans) carnibus muscarum diligenter læuigatis, adiectum oui luteum crudum, simul læuigato, ac vbi cerati spissitudinem acceperit, linteolo illitum imponito, ac statim sedatur.

Quomodo oculi inungantur.

De lippitudine vel de dolore.

Rosas siccas, aut virides passo madẽtes, aqua læuigato, oui tenuis luteo mixto, atq; illinito, aut ordei farinam passo incoctam. quòd si dolor maior fuerit, alterci folia admisceto, aut peponis, aut cucumeris carnẽ, [aut oui tosti luteũ cum] modico vino, [benefacit piceæ] cortex & polenta cum vino.

Ad vehementes dolores.

Coriandri succum cum lacte muliebri in oculorum angulos instillato, aut folia platani læuia cum tenui polenta supernè oculis inijcito.

Ad defluxus cataplasma.

Cupressus viridis, aut herba sabina viridis cum vino, aut paliuri folia, aut portulaca trita cum adipe anserino, & croco, aut iris arida cum melle, aut apij folia cum polenta. In magnis autem defluxionibus pulegij recentis semen * maximè succum cum aceto in malagma redactum sincipiti imponito, & supèr lanas, deligatóq; leniter, aut rosas melilotúmq; coctum cum amylo, aut amylum cum vino albo oculis ipsis illinito.

Agglutinamenta ad fluxiones.

Cochlea cũ testa cõtusa frontem, quà vtraq; tempora distinguũtur, inũgito.

Si oculi percussi sint eóq; cruentis suffusionibus laborent.

Statim per initia ad inflammationes & dolorem benefacit columbæ sanguis instillatus & præcipuè ex teneris alis expressus. Item albumẽ oui eodem modo oculo infusum, ad hæc lana pura exceptum supérq; impositum, iam verò statim etiam luteum oui tostum & cũ vino illitum: præterea rosarum folia, & flos priuatim, & cum vino simul trita, & cum polentæ polline illita.

Ad laxos tumores ex ictibus oculis oborientes.

Admodum congruit fotus spongia molli continuè adhibitus: deinde aceto [temperato madens spongia recens rectè applicatur.

Ad scabiosas oculorum lippitudines ex sole, & pulueribus contractas.

Aqua largiori colluere oculos prodest, æstate frigida, hieme calida. Iam fotus

[Græce erat μετὰ ὠοῦ ὀπτοῦ ἢ λεκύθου. instaurauimus ex lib. κατὰ τόπους

[Sic aduerbũ in lib. κατὰ τόπους. interiectũ ĩ græco hic est Cataplasma oculorum.

* Græcus codex habet κηρὸν, hoc est cerã pro χυλὸν, vt ex lib. κατὰ τόπους vertimus.

[Græce erat malè ἐγχεόμενον pro ἐνσταζόμενον.

[Perperam scriptum est græcè κεκραμένος quasi referatur ad σπόγγος, atq; κεκραμένον legi debet vt sit, aceto temperato.

ex lenticularum decocto per ſpongias adhibitus cõducit. Item angulis ipſis adhibere vel rubi, vel roſarum ſuccum, ſingulorum priuatim ex aqua, aut roſas aridas contritas ex vino. Cæterum ſub ſomnum oleo inunguntur. Abſtinendum eſt acribus omnibus & acidis.

Ad veteres palpebrarum affectus, & in callum obduratos.

Amurcam incoctam, & cum oleo læuigatam illinito.

Ad eos qui palpebrarum defluuio laborant, & pilos non habent, ſumme facit, & pilos reducit.

Muſcerda & ſtercus caprillum pari portione combuſta cũm melle illinuntur. idem remedium etiam vitiligines quas alphos vocant adiuuat.

Ad pilos palpebris ſupernaſcentes.

Euulſis radicitus pilis, ſanguine cimicis illinito, & non prouenięt. vel muſcæ caninæ ſanguis optimè facit. vtitor autem, pilos cum radice euellens aut felle hyænæ, aut felle hircino, dum vellicas ſtatim illinito.

Ad albugines.

Celerrimè ſanat nitrum cum oleo læuigatum diligenter, illitúmq;: aut lacertę ſtercus inungito, aut nycticoracis ouum illinito. nã tinget quoq; ipſos.

Ad obſcuritatem oculorum.

Obſcuritatem quãlibet, & ſuffuſionem incipientem gruis fel perſanat cum ſucco marrubij & melle attico. ꝙ ſi hoc deſideretur, etiam teneto vti melle cõuenit. Eſto autem ſuccus marrubij & mel vnũquodq; dupla fellis portio: aut fœniculi ſuccus, & fel taurinum liquidum, pari portione cum duplicato melle illinitur: aut fel vrſinum cum aqua duplicata.

Ad vngues oculorum, quæ pterygia dicuntur.

Populi nigræ liquorem cum aqua dupla inungito.

De nocturna cæcitudine, quæ nyctilops dicitur.

Iecoris hircini toſti ſanie quæ inter torrendum effluit inungito. idem iecur in cibo exhibetur. ſuccurrit etiã ſanguis columbæ inductus. item fel caprillum aut iecur caprę incoquens, defixis iube oculis in ollam inſpicere & vaporem oculis excipere, aut recentis onidis ſucco oculos ſubungito.

De tuberculis quæ crithæ dicuntur oculis ſupernaſcentibus.

Cera alba foueto, aut muſcarum capite à reliquo corpore amputato tuberculum confricato.

Ad ſugillata.

Sugillata ſtatim tollit raphanus leuis illita: aufer autẽ ipſam, vbi rodere inceperit. Item caſeus ſalem expertus ſi applicetur, ipſa obliterat, aut cerato cum abſinthio, aut ſucco raphani exceptus. ſummè facit ad recẽtes & liuidas ſugillationes, ſpongia in muriam intincta, crebróq; admota. Deinde confert cõtinens ex aqua calida fotus. Hæc ſugillatiõibus liuidis opitulantur. In quibus autẽ cruętæ ſunt, aut ſubflauę aut ſubuirides, muriam vitare conſiliũ eſt: oblinere autẽ lomẽto, aut abſinthio, aut hyſſopo & origano, vel raphani cortice, aut vua paſſa ſine nucleis: ſingulis ſeorſum ex melle, aut aceto, aut aqua diſcoctis. Itẽ ſalutaris eſt albus bulbus cũ ouo & melle, aut cyclaminũ cũ vua paſſa. At in vetuſtis & nigricãtibus ſinapi cũ adipe ouillo duplicato cõfert, aut farina fabacea cũ melle ſubacta manſáq;, & cũ ſaliua illita. vel cumino in linamẽtũ illigato, feruidóq; aceto intincto fouebis, vel ordeacea farina cũ oximelite cocta, aut fœniculo leui cũ cerato.

Ad ſugillata cum tumore laxo.

Spongia aceto madens imponitur. farina ordeacea cum oxymelite incocta vſq; dũ ſubſidat applicatur, ac poſtea imponitur lenticula cocta lęuis cũ melle.

Ad ſugillata recentia.

Cicuta læuis cum aqua applicatur aut bryoniæ radix trita cum oximelite imponitur.

De varis.

Tumor exiguus, durúſq; in vultus cute oritur, quem Græci ἴονθους, latini varos appellãt. differt autem à ficoſis tumoribus, mentum infeſtantibus, eo quòd nõ ſolum craſſus humor qui eum efficit, exiſtat: ſed etiam tenuis ſaniei particeps, propter quam etiam celeriter exulceratur: niſi (vt conuenit) curetur.

Ad varos in vultu.

Aceti quàm acerrimi & mellis parem vtriuſq; modum contemperatum diligenter inungito, digito confricans.

Aliud.

Amygdala amara aceto ſoluta, tritáq; diligenter in paſtillos cogito: qui in vmbra ſiccabuntur. vbi vſus venerit, aceto diluẽs illinito. Vbi exiccati fuerint: ſapone abſtergito. idem valet ad prætumidas diſpoſitiones pruritúſque in facie, & initium elephantiæ.

Ad ficoſas in mento excreſcentias.

Salem foſſitium ex aceto applicabis, aut glutinum fabrile, cũ minio inunges.

Ad menti impetigines.

Triticum copioſius ſumptum incudi imponito: deinde laminam ferreã ignitam tritico ſuperimponito, & humorem qui ex eo reſoluitur adhuc calentem inungito.

Ad diuturnas impetigines.

Capparis folia trita cum aceto quàm acerrimo cum pari mellis portione imponito.

Aliud.

Lapathi radicis corticem cum aceto læuigatum admoueto.

Aliud.

Chamęleontis radicem aceto incoctam, tritámq; applicato.

Aliud.

Lapathi radicem læuigatam, & ordei farinam cũ aceto q̃acerrimo induces.

Ad ſcabioſas impetigines.

Amygdala amara læuigata continenter inungito.

Ad menti eruptiones, quæ exanthemata dicuntur.

Ferrum ignitum inijcito ligno quod dicitur paliurum, & obnaſcentem humorem ſumptum illinito.

Aliud.

Myrrha læuigata cum vino inungito.

Ad dentium affectus.

Dentes dolore vexati aceto calido cum gallis colluantur. aut tędis pinguibus in aceto reſtinctis aut alterci ſemine, & * folijs cum aceto, aut cedria, aut propoli, aut ſolano, aut cappari, aut ſcorodo, aut myrti ramuſculis ex aceto reſtinctis, aut vini fæce calida, aut polij cortice, aut etiam ipſa herba, aut marrubij. ſingula cum aceto auxiliantur. aut platani galbuli, aut roſæ ſiccæ vſq; ad ter-

*Gręcè erat φλοιοῖς male pro φύλλοις.

tiam in vino albo incoctæ, & continuè ad colluendum datæ. Similiter etiam eupatorij radix in vino decocta, aut pulegiū adiuuat, aut cornu ceruinū in [oxycrato coctum ad collutionē crebro exhibetur: aut scillæ medulla minutim concisa, & cum aceti sextario in vas coniecta, conditur in stercore asinino ad dies triginta defossa, ac vtitor collutione: aut lacte asinino colluito (hoc etiam dentes mobiles cōfirmat) aut tithymali radix in oxymelite cocta vsq; ad dimidias, aut alterci radix oxymelite incocta colluitur, aut sycamini lac in vinum infusum exprimito, & tepefactum contineto.

> [Græce erat oxygaro. emendatū ex lib. κατὰ τόπους.

Aliud.

Allij & erucæ seminis & nitri decocto dentes colluito.

De fotu ad dentium dolores.

Fotus benefaciunt ad dentium dolores, extrinsecus sanè qui ex sale frixo præparantur, vel milijs in sacculum coniectis, vel etiam ex sordidis panniculis probè excalefactis. Ipsius autem dentis qui dolitat fotu vtendum hoc est. Origani sicci ramusculum in feruidum oleum intingens denti laboranti supèr immittito, vel gallæ caulem. Similiter etiam ceram ægro impones, aut specillo scalpri calidissimo continenter attinges. in totum vtitor fomentis & extrinsecus & intrinsecus, vel ante cibum, vel longo post ipsum tempore interposito.

Apophlegmatismi dentium, hoc est medicamenta pituitam educentia.

Apophlegmatismi præstantissimi sunt dentium doloribus, Staphis agria priuatim, & cum pulegio manducata, vel gallæ pars interior nigra dente qui dolet commordeatur sinatúrq; defluere, aut allio rum nuclei quinq;, aut myrti nigræ folia pauca cū aceto incoquito vsq; ad dimidias, rudicula mouens tedacea, & ad colluendum dato, oréque continendum. Deinde hiātes pituitam defluere permittant: postea rosaceo dentes colluant.

Medicamentum quod in nares potest infundi.

Betæ radicis succum per se naribus infundito, ac dentium dolores solues.

Si dentes nigruerint.

Sal fossitium melle conspersum, in sarmentis torrefacito, teritóq;, myrrhæ momentum admiscens, & vtitor dentes confricans.

Collutio dentium.

Collutione vtitor ab his, vino odoro, in quo iam antea iris sicca maduerit.

Gingiuarum collutio.

Aceto in quo alterci radix sit incocta, gingiuas colluito.

Quomodo dentes ab iniuria vindicentur.

Tithymali radice cocta in vino ad dimidias bis mense colluito, & nunq̄ dolebis. Ad dolorum vero præcautionem gingiuarum, dentiúmque firmitatem & robur, adeóq; decentiam, subiecta quoq; smegmata optimè faciunt. Lanis succidis linteolo illigatis vstísque, deinde salis tertia parte mixta, læuigatáq; probe abstergito. Aut leporis caput crematū tepidum vsurpato. Aut sale, & melle vsq; ad ceræ spissitudinem læuigatis, ac vbi puro linteolo illigaueris, cremaueríque: iridem exiguam misceto, ac dentes abstergito.

Ad grauem oris odorem.

Ordeum melle læuigatum, vinóque immersum chartæ inuoluito, ac vbi contriueris, gingiuas confricato.

Ad dentes mobiles ut firmentur.

Atramentum sutorium tritum cum oleo radicibus admoueto lana eo madẽte, aut ulmi corticem vino incoctum ore contineat.

Ad dentes erosos.

Capparis folia in aceto acri ad dimidias coquito, & tepido dẽtes collue. Similiter etiam facit cortex. Idem quoq; ad dolores valet.

Aliud efficax.

Melanthium frixum tritúmq; cum aceto acri applicabis rosioni, & non magis dens rodetur: sed veluti est, ita permanebit.

¶ *Ad omnes oris, columellæ, & gutturis inflammationes & affectus, etiam si ulcus obuenerit crusta & putredo.*

Commune præceptum est, vt quod ex capite influit per initia remittamus, repellamúsq;, post initium adusq; finem mixtam esse facultatem ex repellentibus, & digerentibus conuenit. Cæterũ ubi voles repellere, veteris medicamẽto quod dia moron (hoc est ex moris) nomẽ sortitur: veteris etiam vuæ immaturæ succo, melle modico adiecto, aut rosarum flore, aut ipsis rosis aridis aqua decoctis aut piceæ radicis decocto. post initium, quando etiam ex capite humor influit, aliorum digerentium vsus est, adiungendo vni superiorum aphronitrum aut nitrum beronicarium, aut pulegium sapa incoctum, aut thymbram, aut thymũ, aut nepitam. Poterit enim aliquis etiam humore vniuersim influente tot cognoscere remedia, siue venetur in agro, siue opus aliquod in eo obeat. sin in peregrinatione, medicamentis indigeat, confectio ex rubi succo, aut aliquo prædictorum solatium potest præbere. summatim omnia propè astringentia oris affectibus sunt accommodata. Verùm nucũ viridium corticis succus melle pauco incoctus oris vitijs remedium est vtilissimum. Conducit etiam cotoneorum decoctũ si momentũ mellis adijcias, iam saluberrimum quoq; est tum ad vehementes tonsillarum inflammationes, tum ad suffocatus, quod ex viridibus nucibus conficitur.

Aliud.

Malum punicum dulce cum corticibus contusum læuigatúmq; percolato, & sex partibus succi vnam mellis partem adijcito. Incoctis ad mellis spissitudinem, vtitor.

Aliud.

Musti sextarium vsque ad tertias decoquito, & rhus coriarij vncias quatuor misceto, ac sublatis vtitor.

Aliud.

Gallis triginta contusis incoctísque mellis sextario vtitor.

Stomatice præstantissima.

Floris rosarum vncijs duabus, nucleorum pini vncia vna læuigatis cum melle vtitor.

Ad tonsillas, & vuã inflãmatione tentatam, orisq; putredinem.

Mororum succi aut rubi vnciam vnam, rosarum siccarum tantundem, melle mixta ac modicè cocta, illinito.

Aliud.

Cotoneorum astringentiũ succum in pari mellis portione coctum illinito.

Aliud.

Mala punica aſtringentia cum cortice contuſa paſſo incoquuntur, percolata in vſum adhibentur.

Aliud.

Pulegium ſapæ iniectum, aut thymum, aut origanum, aut hyſſopum, aut nepita, & abundè cocta & percolata, dantur ore continenda.

Ad oris putredinem & cruſtam.

Stercus caninum album (ſit autem hoc quod canes pridie ſolis oſſibus deuoratis deieciſſe obſeruati ſint) cum melle illinito aut rhus coriarij aquam ad ſordium ſpiſſitudinem melli incoctam, aut hirundines combuſtas cum melle inungito.

Ad columellam inflammatione laborantem, relaxatámq;.

Palmulas aquæ incoctas modico melle adiecto gargarizandas, continẽdáſq; ore dato: aut roſæ, aut pãpini vitis, aut rubus, aut rubus caninus, aut mala aſtringẽtia, aut ſorba intempeſtiua, rhus obſoniorum & coriariũ, aut myricæ ſemen, ſingula & per ſe & cum alijs in aqua decocta gargarizentur, aut ſiccum aliquod ex prædictis probè læuigatum gurgulioni admoueatur, ac ſenſim reducetur. At inijcere ea cochleario conuenit, atq; ſic columellę applicare oportet. Succi omnium commemoratorum & ſtirpium & fructuum ipſorum ſimiliter cũ modico melle mixti, illitiq; auxiliantur.

Aliud.

Facit ad vuæ inflammationem ſal læuigatus cum melle ſi illinatur.

Aliud.

Palmularum oſſa & nucum tenerarum viridium & ſiccarum, vtriuſq; æquali portione cremata tritáq; attactu vtitor.

Aliud.

Roſas ſiccas admodum læues cum melle illinito.

Ad oris vlcera quæ aphthæ dicuntur.

Portulacam melli intinctam mandet aliquis, aut oleę folijs in vino coctis os colluet.

Ad aphthas nigras & depaſtas.

Abſterſis erui farina, gallam cum melle illinito, aut lycij decocto gargarizet affectus, aut fæce vini dulcis cum melle inungat: aut myricæ ſemen tritum cum melle illinito.

Ad aphthas depaſtas.

Gallarum decocto ęquali melli mixto ferueфactóq; vtitor.

Ad aphthas albas.

Chalcytidem oleo ferueſactam pinna illinito, & ſtatim tollit. Vbi verò puræ euaſerint, myricæ ſemen tritum, & mulſa aut vino ſubactum pinna illinito, & protinus aufert.

Ad aphthas nigras.

Vua paſſa nucleis exemptis & aniſum læuia cum melle delinuntur aut folia pruni contuſa & lacti mixta aſinino colluuntur. benefacit etiam marrubij ſuccus, aut lenticulę decoctũ, aut rubi, aut cornu ceruinum tritum infricatum.

Ad aphthas infantium.

Lenticulam cum panis exiguo & cotonei liquoribus mixtam dato. Item ro-

sarum florem:ipsásq; rosas siccas & collutiones ex modicè astringentibus adhibero. Oleum verò maximè huic affectioni aduersatur, & quæ admodum sunt acria. nam illud humectat sordésq; parit, acria rosione nocent.

Ad arteriæ asperitatem.

Dulcis radiculæ vncias tres, læuigatas admodum & maceratas, gummi tragacanthi vnciam vnam passo excipito, & pilulas ad erui magnitudinem inde confectas sub linguam dormituro exhibeas.

Ad vocem abscisam.

Ficuū & eryngiorum probè coctorum iuri, gummi paululum admisceto, vt melle fiat durius, ac in noctem dato.

Aliud.

Brassicæ succum cum melle coctum linctu dato. valet etiam ad tussim.

Aliud.

Seminis lini cremati incretíq;, vuarum passarum pinguium sine acinis, nucleorum pini frixorum, nucum auellanarum purgatarum, singulorum pares modi contriti & melle discocto excepti dantur cochleario vno.

Linctus ad tussim.

Nucleorum pini vnciæ duodecim, palmularum carnis tantundem. probe læuigata melle discocto excipiuntur.

Ad aridam tussim.

Iridi aqua decoctæ mellis exiguū addito, & continuè sorbendum exhibeto.

Ad sanguinis eruptionem & sputa cruenta.

Rosarum siccarum vnciæ octo, gummi tragacanthi hexagia tria, læuigantur cum aqua, finguntúrque pastilli singuli pendentes vnciam, & dantur ex aqua.

Aliud.

Ficuum domesticarum ventrem, aquæ sextarium coquito ad tertias, & dato ad sorbendum.

Aliud.

Minij synopici vnciæ duę, terræ samiæ vnciæ duodecim, amyli vnciæ tres, excipiuntur polygonij succo, dantúrq; ex eis tres oboli.

Aliud.

Seminis lini frixi vnciæ octo, gummi tragacanthi vnciæ duodecim.

Aliud.

Polygonij radices aqua ad tertias decoquūtur, tritíque gummi exiguo addito dantur sorbitioni.

Ad phthisicos & pectoris vitia.

Iridis decoctum cum melle potatur, aut hyssopi decoctum cum melle datur sorbendum, aut marrubij herbæ succus cum melle coctus, aut erui rufi frixi, minutímq; triti cum vigesies aucta mellis parte linctu exhibentur, aut amygdalæ amaræ læuigatæ cum melle offeruntur.

Aliud.

Apij seminis vnciæ sex, piperis nigri vncia, mellis libra. datur cochlearium.

Aliud.

Butyrum melli mixtum, & sensim coctum dato.

Aliud.

Apij vncia, piperis communis vncia, mellis libra læuigata, & paulatim incocta dantur.

Aliud.

Scillæ crudæ succum exprimito, & pari mellis mensuræ misceto, carbonibus superimpositum coquito, ac mystrum ante cibum & post eum, exhibeto.

Aliud.

Abrotani, vuarum passarum pinguium nucleis exemptis, rutæ surculorū decoctioni ex aqua, vbi percolaueris, mel adijcito, iterúmq; cocta exhibeto.

De oris ventriculi affectibus.

Oris ventriculi inflammationes, & iecinoris, astringentium misturam requirunt. nam si sola relaxandi facultate ac ratione curentur, periculum vitæ inferunt: quod licet omnes empirici experientia edocti & in artis operibus obseruent, non pauci huius tempestatis methodici, infinitis stomachicis, cur anima ipsis deficeret, authores extiterunt. Plerosque verò etiam iecorarios occidūt sola laxatoria medicina vtentes, vt multis iecur fuerit dissolutum. Si igitur vel oleum fuerit, quod affectis locis superfunditur, vel cataplasma, adiungere aliquod astringens oportet, verbi gratia, absinthium aut nardinum vnguentum, aut aloen, aut melinum oleum, aut cotoneum, incoquēdo. Ceratis autem vtendum est aloe, mastiche, cera, & nardo. conficies ipsum ceratum iniecta ceræ vncia vna, mastichæ vncijs quatuor, aloes vncijs duabus, nardi quod satis est. at si maior fuerit imbecillitas, vt ne cibum quidem cōtineant: miscentur vuę immaturæ liquoris vnciæ duæ. quòd si vero absinthij succus adsit, etiam ipsius vncia vna misceri debet: aut œnanthæ, aut rhu succus.

De calida stomachi intemperie.

In calida stomachi intemperie etiam per os hoc medicamentum dari debet, mastichæ vnciæ duæ, mentæ vncia vna. excipiuntur succo plantaginis, & fabæ instar cum aqua dantur. In quibus autem stomachus refrixerit, superiori confecturæ adijcere oportet castorei vnciam vnam, ac simili modo exhiberi. agnoscetur verò calida intemperies inde, quòd nonnunquam biliosum quiddam ipsi expirant, educúntq;: in totum biliosæ rosionis sensum in ore ventriculi percipiunt: & ad tactum id est calidum.

De stomacho refrigerato.

In refrigerato stomacho, & in quibus crassa pituita excalefieri incidiq; desiderat, vtile est: fœniculi radicis corticis vnciæ sex, aceti libra, mellis tātundem. radices cum aceto coquuntur, deinde vbi coctæ fuerint, expressæ proijciuntur, & melle superfuso rursus medicamentum ad spissitudinem coquitur, ac dātur cochlearia tria cum aqua.

De iis quibus cibus acescit.

Si cibus in stomacho acescit, vtile hoc est medicamētum: piperis vncia, anethi seminis tantundem, cumini vncię quatuor. probe lęuigata dantur cochleari dormituro ex aqua aut vino temperato.

Ad euersionem stomachi.

Aduersus stomachi euersionem, mali punici acidi nucleorū succi partes tres, mentæ succi pars vna. Coniecta in vas fictile cōtinue coquuntur. vbi spissitudinem acceperint, reponuntur. In vsu, ante cibum mystrum vnum datur.

Ad dysentericos & cibum reuomentes.

Cotoneorum malorum libra, vini myrtei sextarij tres, ad tertias decoquũtur: deinde expresso humori mellis selibra adijcitur rursusq; coquuntur, mouendo continuè:excepta mystri mensura ante cibum dantur.

Ad stomachi euersionem, cœliacos & dysentericos.

Mala cotonea numero quatuor, mala punica integra decem, sorba numero *octo, aquæ italicæ sextarij tres, diligenter incoquãtur, ac vbi dissoluta fuerint humor exprimatur, & quicquid ex fructibus tempestiuis restat, eiecto: rursus illa incoquãtur. postquã tertia humoris portio fuerit relicta: mellis boni libræ quatuor addantur, coquantúrque super carbones mouendo continuè, postquã spissitudinem acceperint, reponito: ac simili modo vtitor.

Ad æstuantes catapotium sitim arcens.

[Cucumeris domestici seminis vnciæ octo, tragacãthi vnciæ quatuor, dissolue tragacanthũ ouorũ crudorum recentiũ albumine. quũ dissolutũ fuerit, tritum diligenter, reliquis addito. mixta iam in pilulas cogito: & in vmbra siccato. dabis vnã sub lingua tenendam, & humor qui inde resoluitur deglutiri debet.

Ad euersionem stomachi aut ardentes exhalatus.

Anisi vnciæ duæ, apij tantundem, cumini vncia vna, læuigata accuratè dantur cochleari vno ex aqua, nunc ieiuno: nunc dormituro ex vino.

Ad perfrictiones & singultus stomachi.

Piperis vncię tres, castorei vncia, dato cochleariũ mediocre ieiuno ex aqua. At si ex calidis humoribus inter coquendũ corruptis singultus oriatur: ardorémq; & rosionẽ stomachi sentiant, cochleare bibẽtes, rursus vomere iubeto, ac statim singultus cessabit. Item sternutamentum accõmodatum singultum sedat. Insuper acetum, si supersorbeatur.

Ad stomachum æstuantem.

Aestuantẽ stomachum cũ ardore aut animæ defectu, nisi febris affligat, cyathos ternos aut quaternos frigidę potui per interualla dato, & si quidem lenian tur, hoc ipsos tanq̃ alimento recreatos, etiã alijs reficito. Sin autẽ æstus perseueret: extremis fascia deligatis, oleóq; perunctis, dilutum continuè sorbendum dato, aut malorum cotoneorum, aut pyrorum, aut mespilorum, aut baccarum iuniperi, aut capreolorum vitis, aut mali punici succi, aut vuæ immaturæ succi, aut mentæ ramusculum læuigatum potui dato, aut œnanthen, & finito conquiescere.

Ad saliuam stomachi.

Saliuam reijcientibus ex stomacho oryzam aridam mãdendam dato. Extrinsecus autem stomacho vitis folia viridia læuigata, aut mala cotonea, aut portulacam viridem, aut cucurbitæ rasuram imponito.

Ad dolorem stomachi.

Dolores stomachi pacat, lenítq;, in quibus grauitas quædam animi aut angor sequitur, lac bubulum, aut asininum calculis marinis in eo coctis, potũ. aut decoctum rosarum, aut oui luteum tostum, cum polenta propinato.

Ad stomachum atram bilem vomentem.

In quibus atra bilis generatur & stomachus flatibus vrgetur, præsertim quũ malum intenditur: spongias aceto quàm acerrimo calido imbutas applicato,

*Melius est quinquaginta. sic enĩ Galen. alibi habet, & facilis lapsus est literæ v. in u. adde q̃ sorborũ numerus aliis nõ respõdet. Totã vero cõpositionẽ ita habet: mala cotonea numero decẽ, sorba. 50. mespila 50. rheu rubri sextarius vnus, aquæ cõgii. 7. mellis libræ 4. [Alibi Gale. idem medicamentũ sic ponit. Cucumeris domestici seminis drachmæ. 8. portulacæ sẽminis tãtũdẽ, tragacãthi drachmæ 4. quem in modum hic quoq; legendũ puto.

aut hederæ folia in vino cocta oblinito, cibúmq; boni succi exhibeto. Est autem boni succi cibus ex ouis, halica, iure cui incoctæ sint vel gallinæ, vel vngues porcorum, vel phasiani caro, vel recentis perdicis, omniúmq; his similium.

Ad inflationem stomachi.

Qui flatibus, & distensione stomachi laborant, polij fasciculum decoctũ bibent, aut nepitæ decoctum modico mellis mixto, piperis vnciam vnam.

Medicamentum leniens dolorem stomachicis.

Cuminum frixum apiúmq; modicum ex aqua potatum: aut abrotani & thymi, vtriusq; oboli duo potui dantur.

Si grandis fames in itinere vrgeat.

Extrema fame laborantes in via, vel alio quodam modo, recreabimus acetum naribus offerentes, vel pulegium, vel terram aceto madentem, vel poma vel pyra, vel alios fructus similes quorum facultas datur, vel panem cum vino assumere cogemus.

Ad singultientes.

Singultientibus ruta cum vino sorbẽda datur, aut nitrum ex mulsa, aut apiũ, aut castoreum, aut abrotanum, aut aristolochia, aut cuminum, aut anisum, aut nepita.

¶ *Ad obstructionem iecinoris.*

Amygdalarum amararum vnciæ tres, cumini vncia vna, apij seminis tãtundẽ. datur potui cochleare vnum ex vino.

Aliud.

Baccarum iuniperi vnciæ tres, brassicæ seminis vncia vna, erucæ seminis vnciæ duæ: melle discocto, excepta dantur cochleari vno.

Aliud.

Cichoreæ succi vnciæ duæ: cyathum propinato cũ aquæ calidæ cyathis duobus, adiectis duobus mellis cochlearijs cum aqua calida.

Aliud.

Anethi succi cyathum vnũ cum mulsæ calidæ cyathis tribus. sicca reddita quæ prædiximus contusa, inspersáq; singula decoques dabísq; potui.

Aliud.

Chamæpityos decoctum cum mellis momento potui datur.

Aliud.

Chamæpitys vnciæ octo, cichoreæ radicis vnciæ quatuor: tundito, coctóq; in melle excipito, ac nucis auellanæ instar cum aqua calida dato.

Pastillus Iecorarius.

Anisi, apij seminis, asari, amygdalarũ amararũ, absinthij, singulas vncias: aqua finges pastillos qui vnciam singuli pendeant. Si febris absit cũ vino temperato exhibebis: febricitantibus cum hydromelite. *Aliud.*

Senecionis decoctum potui dato.

Aliud.

Aristolochiæ semidrachmam tritam, febricitantibus ex aqua propinato: si febris non vrgeat, cum vino.

Aliud.

Trifolium herbam ad tertias redactam potui dato.

Ad ictericos, hoc est, regio morbo laborantes.

Lauato ægrotantẽ in aquæ potabilis balneo, ac totum corpus oleo anethino perfricato: si vero non febricitauerit, vinum in cucurbitæ syluestris corticem iniectum calefactúmque propinato.

Aliud.

Passeris detriti dato cochleare vnum ex aqua, aut mulso, si febris non adsit.

Aliud.

Cichoreæ cyathos tres: febricitantibus quidem per se: ijs autẽ qui febri carent, cum mulso temperato prębebis.

Aliud.

Cicerum quæ vocantur arietina, & fœniculi decocti succum febri carentibus cum vino temperato exhibebis.

Aliud.

Cardami viridis folia tenerrima, rorismarini viridis folia mollissima terito liquore ex ipsis expresso, cum mulso in his qui febri vacant, vtitor.

Aliud.

Elaterium cũ lacte muliebri tritum naribus infundito, iubens id attrahere.

Aliud.

Cyclamini succo aqua soluto, in prædictum modum vtitor.

Aliud.

Rufum canini rubi fructum esui dato.

Aliud.

Chelidonię herbæ succum cum vino & hydromelite, quum febris abest, dato.

Aliud.

Hyperici vnciã cũ hydromelite potui: item amygdala amara ieiunis esui dato.

Ad lienosos.

Chamędrys decoctum propinato, aut chamępitys, aut polij, aut erythrodani, aut per se, aut cum oxymelite, febri carentibus.

Aliud.

Hederæ albæ capreolorum grana tria, diglutienda dato, & oxymel superbibendum.

Aliud.

Capparis radicem coctam cum oxymelite, si febris abest, potui præbeto.

Aliud.

Myricæ semẽ cõtusum, cretúmq;, duobus cochlearijs cũ oxymelite exhibeto.

Aliud.

Aquam in qua ferrum ignitum restinxeris potui dato: si febris absit, ex vino.

Epithema lienosis accommodatum.

Fœnugræci vnciæ quatuor, ordei farinæ vnciæ tres, cardami seminis tantundem: ficis aceto acri conspersis, validéque in pila contusis, reliqua adijciuntur: vbi vnitas facta fuerit, vtitor.

Aliud.

Moly herba viridi adhuc cum semine pilæ iniecta contusáque diligenter illinito, coquitóq; igni lento diutissimè: vbi decocta fuerit, minutim in mortario lęuigatam impõnito, vsq; ad triduum permittens.

Ad hydropicos.

Fœnugræci vncia vna, ordei farinæ vnciæ tres, stercoris columbini vnciæ

quatuor, reſinæ frixæ libra, picis libra vna, axungiæ veteris libræ duæ, ijs quæ liquari poſſunt, liquefactis: reliqua prius læuigata in aceto affundito, ac vtitor.

Aliud.

Stercoris caprilli ſicci libræ duæ coquuntur in poſca, applicantúrque.

Ad colicos.

Anethum & cuminum tribus olei vncijs incocta ſimul dato.

Aliud.

Rutã ſimiliter pari oleo incoctam cochleari reſinæ terebinthinæ adiecto vſurpabis.

Ad eos qui omnino perfrixerint.

Anethino adiecto cochleari caſtorei triti vtitor.

Ad inflammationes.

Anethino duobus butyri inſulſi cochlearijs permixtis vtitor. Similiter etiam adipe anſerino, aut medulla cerui.

Ad inteſtinorum tormina, quæ dyſenteria dicitur.

In dyſentericis hoc ſcire oportet, eximium tormentorum eſſe remedium cibi tenuitatem. conuenit autem ea quæ offeruntur, quàmmaximè leuia, nõ grauantia: & ad concoctionem prompta. Iam malorum punicorum integrorum, cotoneorúmq; decoctũ, his potui dare, & ab inferiori parte indere conſiliũ eſt.

Aliud.

Plantaginem herbam cum oryza coctam diligenter, eſui dato. Item ſeuum hircinum eidem ſucco mixtum.

Aliud.

Myrtum incoctum vino, ſi febris abeſt, indito: ſi illa affligit, in aqua.

Aliud.

Cochlearum integrarum crematarũ vncia, cornu cerui combuſti vnciæ duæ, excipiuntur plantaginis ſucco, dantúrq; ad fabæ magnitudinem: ijs qui febre carent, ex vino: illis qui hac infeſtantur, ex aqua.

Ad cœliacos & dyſentericos.

Myrtorum ſiccorum contuſorum vncia vna, roſarum ſiccarum tantundem, baccę iuniperi numero decem, pyra ſicca contuſa vigintitria, ſiliquarum cõtuſarum vncia, piceæ corticis vnciæ quatuor. datur ſiccum ex vino cochleare: pars autem craſſior palmulis pinguibus excepta ventriculo imponitur.

Aliud.

Coagulum leporis, aut hinni, aut capræ ſylueſtris, vino propinatur. Inditũ verò inferius cum oryzæ cremore auxiliatur.

Ad inueteratas dyſenterias.

Chartæ combuſtæ vncia vna, calcis viuæ tantũdem, acore vuæ immaturæ excepta in paſtillos cogito. qui vncias tres, duas, & vnam pendeant, vt menſuram omni ætati reſpondentem habeãt. quum vſus exegerit, vino auſtero ſoluta mixtáq; oryzæ cremori, inferius inijci iubeto.

Aliud.

Oui anſerini cocti eorticẽ lęuigatũ diligẽter ſemidrachma ex vino propinato.

De medicamentis ſedi aptis.

Varij ſedem affectus inuadũt, rimę, cõdilomata, aliæq; inflammationes. cõue-

niunt autem ipsis tenera medicamenta & rosionis expertia, si illinantur.

Hedricum, hoc est sedi dicatum, ad igneos dolores.

Oui luteum vino albo læuigatum, & rosaceo cerato exceptum illinito, emplastróque vtitor. Competunt autem ipsis medicamenta tenera & à rosione quum illinuntur aliena.

Aliud.

Adipem anserinum recentem inungito, emplastróque vtitor. Cōuenit ipsis etiam cataplasma ex pane puro soluto, coctóq; aqua & rosaceo. Præstiterit autem, si lutea ouorum tosta simul adijcias.

Aliud.

Fœnum græcum coctum, tritúmque, applica: adiungens etiam butyrum.

Aliud.

Adipe anserino illinito.

Aliud.

Rosarum vnciæ tres, ouorum tostorum lutea duo, vino albo læuigata & rosaceo cerato excepta inungito.

Ad ani pruritum.

Terram quam vocant cimoliam vino detritam, excipito myrteo cerato, & vtitor.

Ad anum procidentem.

Stercoris plumbi vncia vna, rosarum siccarum vnciæ quatuor. probè læuigata sicca appendito: vino myrteo locum prius abstergens.

Aliud.

Cyclamini succi & mellis parem modum in vase æreo coquito, vt cerati habeat spissitudinem, & illinito.

Quæ ad inflammatorios affectus & renum ac vesicæ vlcera potantur.

Lini seminis vnciæ duæ, amyli vncia vna: datur ex aqua cochleare.

Ad exulceratam vesicam & vrinæ difficultatem.

Nuclei pinei, amygdalæ, singula viginti, palmulę quindecim, tragacanthi vnciæ quatuor, dantur ex aqua.

Ad obstructionem renum.

Apij decoctum quū febris nō vrget condito potatur: febricitantibus aqua.

Aliud.

Cicerum quæ dicuntur arietina decoctum cum condito propinatur.

Ad calculosos.

Lini semen detritum accurate, cum condito bibitur.

Aliud.

Cucumeris domestici seminis frixi vnciæ sex, maluæ seminis vnciæ quinque, nucleorum pini frixorum vncię sex, apij seminis vncię octo, amygdalarū amararum purgatarum vnciæ nouem, excipiūtur passo, datúrque cochleare, vt prędictum est.

Ad coxendicum dolores, podagram & articularium morbum.

Morbi hi sibi inuicem sunt congeneres, eóque eandem ferè curationem requirunt. fluxus autem qui ipsos efficiunt, euariant: alij siquidem ipsorum calidi sunt, alij frigidi. Notæ ipsorum in calidioribus quidem, sunt rubor, igneúsq; ardor, inflammatio, & dolores vehemētes: in frigidioribus, tumor laxus, albúsq;,

& inſignis. Vtriuſque curatio hæc eſt: in calidis quidem refrigerantia: in frigidis calefacientia digerentiáque adhibentur. Si igitur copioſus fuerit humor qui infeſtat, primùm is purgandus eſt. Si corpus plethoricũ extiterit, primùm omnium ſanguinis dimiſſio adhibenda eſt, & medicamentis quæ influxus repellunt, vtpote poſca, & frigidioribus, vtẽdum. Verùm de his copioſiſſimè in libris duobus ad te, mi Glauco, de curãdi ratione conſcriptis, aliíſque compluribus tractauimus. quare morari hic, tanquam in facilibus paratu remedijs de his dicentem non oportet. At in coxẽdicum articulo hoc facere, cautio eſt. nam quum in alto ipſe habeatur, ſanguis ex ambientibus vaſis, muſculíſque, ad illum propellitur, nimíſque moleſtat. Leniẽtibus itaque medicaminibus indigent, in coxendicum dolore, neque frigidis vehementer, neque calefacientibus admodum, vt à quibus fluxiones irritentur: dum multa caliditas ipſas trahit, imò digeri prohibet: frigiditas autem coagulationi quiddam ſimile efficit, & contumaces fluxus molitur. Iuuant autem vomitus magis coxendices, qui humorum ad inferiora decurſum per alui inanitionem reuellunt. Vtendum verò eis per initia ſecundum cibum, poſtea etiam bulbis vomitorijs & radiculis. verùm bulbos aqua incoctos cum oxymelite offerre oportet: radiculas autem minutim contuſas & oxymeliti iniectas eſſe, ſpatióque longiori interpoſito ad vomitum ducere, deinde lõgiore temporis proceſſu lauare: inde rurſus diebus aliquot intermiſſis, vt tota ſubſiſtat turbatio, tenuiter victitare conuenit.

Ad podagræ acceſſiones.

Braſſicæ folijs coctis tritíſque adijcito fęcem aceti, & ouorum non coctorum lutea duo, & pauxillum roſacei: vbi accuratè miſcueris, ac tepefeceris, admoueto, continuè permutans.

Aliud.

Cataplaſmati ex ficis familiari cocto, alterci folia adijciuntur. vbi ſimul cocta fuerint, applicantur.

Ad igneas inflammationes.

Lenticulam paluſtrem, cum aceto & roſaceo applicato.

Aliud.

Vlmi foliorum ſuccum cerato incoctum illinito.

Ad immodicos ardores.

Lactucæ folia diligenter trita cum pane inducito, continue immutans.

Aliud.

Coriandrum viride cum polenta læuigatum admoueto.

Ad laxos tumores.

Amygdalarum oleum diligenter tritum applicato, lana ſuccida ſuperpoſita.

Quoniam verò in initio libri de cholera, & letalibus medicamentis, & feris venenum mittentibus, & ſanguinis profluuio nonnihil à me expoſitum eſt, haud abſurdum fuerit, etiam aduerſus hæc pauca ſubiungere, licet ad alium locum pertineant.

Ad ſanguinis profluuium ex naribus.

Triticeam farinam ſucco porri exceptam, tortili linamento circundato illinitóque, & nari profluenti imponito.

Aliud.

Tortile linamentum ex linteo factum, aceto acri imbuito, & lucerna vſtum

nari inſerito.

Aliud.

Onidis calidę ſuccum æquali aceto mixtum, farina tritici adiecta, in ſordium ſpiſſitudinem cogito: vnctúmq; tortile imponito. vtitor etiam deligaturis tum pedum tum manuum: caput refrigerato: præcordijs cucurbitulas deſigito. Dextra quidem nare ſanguinem fundente, ſuper iecur vehementem agglutinato cucurbitam: ſiniſtra autem, contra lienem. Porro de eductione ſanguinis ſuperius diſputatum eſt.

De ſanguinis profluuio ex vulneribus.

Si ex vulnere ſanguinis profluuium oboriatur, myrrham & thus leuigata, exceptáque oui albumine ſuperinijcito, vtens impreſſione in locum deſignatum.

Aliud.

Lanæ cõbuſtæ cinerem vulneri inducito. vtitor etiam poſca ſpongijs ſuperimpoſitis continue.

Aliud.

Onidem calidam illitam deligato: ſi ſicca fuerit, aceti momentum adijcito.

Ad choleram.

Si citra febrem, aliámq; purgationem oboriatur, ius dato ex vino temperato & frigido potui. Item cucurbitulas vehementes mediæ corporis parti imponito. Quòd ſi æger bono ſit habitu præditus, etiam in frigidum ſolium diutiſſimè collocato. cibos dato aſtringentes, & ex pomis, malum cotoneum, & mala granata aſtringentia.

De medicamentis letalibus.

De medicamentis letalibus indiſtinctè ſcribere hoc in loco tutum non eſt, & ſingulis pro ſubſequentium ſymptomatum ratione expoſitis curationem ſic adducere difficile. nam talis tractatio præbuerit malitiæ occaſionem ijs qui malefacere cogitant. At quæ communiter credita ſunt opitulari ijs qui venena aſſumpſerunt, hęc conſcribo. Statim itaq; vbi noxiũ biberint, vomere iubeto hydreleo copioſiſſimo continue aſſumpto. Item omnis generis cibos dato, aut cimicem, rurſúſq; vomere pręcipito. vel enim medicamentum ſimul egeretur, vel ſuperatum vim habebit hebetiorem. quòd ſi à vomitu ventre rodantur, hydroroſati potu iterum vomere coges. Præterea ſi res exiget, etiam theriacen cum vino præbebis, aut baccas iuniperi nouem, rutæ viginti folia læuigata propinabis, aut herbæ chamæpitys. A ſomno prorſus arcebis, extrema molliter cõtractabis. Quòd ſi malum deſcendere videatur, imo ventre roſo irritatóq;, acribus clyſteribus vtendum eſt, melle copioſo, & aphronitro aut alio quodam conturbante adiecto. Cęterum ſtrangulationes ex fungis leuat oxymel cum nardo potũ, & gallinarum cohortalium fimus cum oxymelite. In lacte autem quod in caſeum coierit, eóq; ſuffocationem inducit, coagulum vino ſubactũ propinato.

Ad impetiginem.

Telephium & allium acetúmque acre vbi prius infricaueris, lana aut panniculo impetiginem illines.

Ad dentes eroſos.

Scorpionem album carbonibus imponito, ſed terreſtrem, & infundibulo fictili operculato ægrum vaporẽ ſcorpij per foramen operculi excipere iubeto, ac omnino dolore liberabitur.

Ad coxendicem.

Alliorum vngues tres purgatos * ieiunus deglutito, post cœnam bibés misturam: id continuè facere compertum est.

* Græce est ὑγιῶς.

Ad lienem.

Allij vngues septem minutim cōcisos in merum demergito, & manè ieiunus vnum assumito. Confracto ipso, etiam deglutito in vnoquoq; vngue cauliculum. Comprobatum est hoc frequenter. Quòd si voles etiam cataplasma expertū habere, indito radices capparis & caricas in aceto, ac ferue facito. postea ordei farinam & mel aceto adijciens, caricásque læuigatas probè incoquens, ita applicato.

Ad coxendicem.

Hirundinem venare, & si dexter pes ægrotauerit, dextera manu pennas laboranti incutiens & vellicans sanguinem trahito à superiori acetabuli parte vsque ad talum, sic vt tota hirundine sanguinem deducas. hanc plumis detractis torrefactam comedito nihil foras proijciens. Vbi voraueris statim oleo vsq; ad talum triduo inunges, ac miraberis. Iam hoc quoque admodum expertū est: Cornicem venatus fac vt innocuam conserues, & si dextera pars laborauerit, paruū digitum posteriorem cornicis à dextro pede amputatum circumponito. Vnguento autem alis cornicis inunctis finito volare. Quòd si pars sinistra affecta fuerit sinistri pedis digitum præmonstratum resectum circundato. faciunt etiā alia similiter. hoc autem frequenter probatum est.

Præsidium ad difficultatem spirandi.

Auripigmentum in stercore bubulo non leuiter siccato incendes, & ægrotātem per infundibulum suffumigabis. hiet autem ore, quantum potest. deinde merum Aegyptium ipsi propinabis. hoc tribus diebus quater facies. At si imbecillis æger fuerit, hoc quod sequitur facito. Auripigmentū contusum, tritúmq; mero admisce, & triduum ieiuno potui dato, & quum agiliorem ipsum deprehenderis, suffumigato vt prædictum est.

Ad cataphoram hoc est animi delationem.

Sordes lanarum in vinum meracum Aegyptium inijcito, & ieiuno per triduum potui dato. Quartus igitur liber mi Glauco finē hic accipiet. At si vsus tibi fuerit etiam eius commentarij quem ad Salomontem archiatrum conscripsimus, significato, ac prompte accipies. Postquam autem acceperis: vehementer mirabere.

LIBRI DE REMEDIIS PARATV FACILIBVS FINIS, IOANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.